Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Kaspar Movius

Dissertatio Logico-Philosophica Libro primo Systematis Logici ... Bartholomaei Keckermanni Opposita. In qua praeter errores Philosophicos, canones ad orthodoxian Lutheranam evertendam consuti examinantur, errores quoq[ue] Theologici passim interpolati digito monstrantur indice, una cum solvendi fundamentis

Rostochi[i]: Sax, 1617

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729226964

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



R U
phil 1
1617.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729226964/phys_0001
DFG

Aus dem Pickel herausgelöst:
Nic. Fryse, Christl. Gebede. Röst. 1614.

R. U. phil. 1617.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729226964/phys_0002
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729226964/phys_0003
DFG

DISSERTATIO
Logico-Philosophica

Libro primo Systematis Logici
CLARISSIMI QVONDAM VIRI
BARTHOLOMÆI KECKERMANNI
OPPOSITA.

In quâ præter errores Philosophicos, canones ad ὀρθοδοξίαν Lutheranam evertendam consuti examinantur, errores quoq; Theologici passim interpolati digito monstrantur indice, unâ cum solvendi fundamentis.

ET

CONSENSV, IVDICIO AC APPROBATIONE Amplißimi & admodum venerandi ordinis Philosophici
ad publicum examen
Φιλοσοφῶν ἢ Θεολογῶν
In Almæ Varnianæ Acroaterio majori aliquot disputationibus exhibita & producta
à
M. CASPARO MOVIO Parchimo-Megapolitano SS. Theol. Studioso.

ROSTOCHII
TYPIS MAVRITII SAXONIS. *Anno M. DC. XVII.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729226964/phys_0011
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729226964/phys_0012
DFG

Illustrissimo Celsissimoq; Principi ac Domino,

DOMINO

ADOLPHO-FRIDERICO

Duci Megapolitano, Principi Vetustæ Gentis Henetæ, Comiti Svverinensi, Terrarum Rostochij & Stargardij Dynastæ

&c.

OMNIVM VIRTVTVM HEROIcarum vivo exemplo, Justitiæ vindici strenuo, veraq; & orthodoxæ religionis assertori laudatissimo;

Domino meo clementissimo.

)(Philo-

Celsissime Princeps, Dne clementissime

Cic. lib. de senect. Sen. Epist. 14.

PHilosophiæ nomen, quod nũquam satis dignè laudari potuit, ab omnibus suo quodam jure venerabile censeri debet ac sanctum: Non modô, quia internæ essentiæ ratione meretur, ut per ac propter se expetatur, ejusq; tractatio optimo atq; amplissimo quoq; sit dignissima: sed & mirificos ob usus fructusq;, qui ex illâ cùm ad gnavũ ejus cultorem, tùm verô maximè in universam redundant vitam humanam. Nam licet quidem ipsam Philosophiæ rationem utilitas non ingrediatur; quod disputat & pugnat contra P. Rami scholam totus Peripatus; tantùm tamen abest, ut utilitatis laus & gloria ipsi adimenda, ut potius cumulatissimè ei sit deferenda. Ea n. rerum præstantium natura est ac indoles, ut bonitatis suæ radios ultra primæ inventionis horizontem benignissimè & uberrimè spargant. Et res quævis, quo est excellentior, præstantiorq;, eò majori etiam utilitatis, emolumenti ac commoditatis luce coruscat & splendet. Quare, cum Philosophia in genere rerum præstantium penè primas sibi meritô deposcat; nec ea ingenti destituta erit utilitate. Attestatur hoc scitè & graviter, ut omnia, Tullius lumen illud & flumen Romanæ eloquentiæ, dum Philosophiam pulcerrimis &

Aristoteles lib. 1. Met. c. 2.

Cic. lib. 2. Acad. quæst

Schegk. lib. 1. dem. Slek. disp. de bono phil.

elegan-

elegantissimis quibusq; titulis passim cohonestat: mox vitæ rationem, mox vitæ parentem ac ducem appellando: nunc viam rectè beateq; vivendi: nunc virtutis indagatricem vitiorumq; expultricem, & id genus plurimis alijs. Ut igitur nemo, nisi excors, hanc nostram in omnes vitæ humanæ partes maximas porrigere & explicare utilitates negatum ire queat. Possem hoc omnium ac singularum partium inductione ad oculum demonstrare fusissimè sine negotio ullo, nisi ingrata me prolixitas deterreret. Cæteris ergò missis in Literaria Rep. illud dabo ostensum; at perpaucis. Jurisprudentia quàm sit necessaria vitæ humanæ, tanquam ex specula quadam clamat experientia ipsa. Sed potestne hæc sine Philosophia constare? Qui affirmat, ille sanè eâdem operâ Jurisprudentiam ex recta ratione, naturalibusq; principijs derivatam existere negat, & non sine insigni ejus labe brutam efficit. Agnoscunt hoc atq; fatentur plerique; Icti ipsi: unde Logicam & Ethicam duas q. Jurisprudentiæ alas constituunt, ac sine quibus jus satis commodè disci nequeat, omnes esse Philosophiæ partes, cumprimis a. Ethicam conceptis verbis scribunt. Et quis universum jus regulis axiomatibusq; Philosophicis refertissimum esse ignorat? Istorum a. verum intellectum ex ipso fonte esse hauriendum vix ac ne vix quidem ullus inficias ibit. Medicinam quoq; Philosophiæ adminiculo egere ijsdem probari potest documentis, & testantur illud disertè Averroes, Avincenna, Galenus, alijq;.

lib. 2. offic. lib. 5. de finib. lib. 5. Tusc. quæst.

Wesenbec. in orat. de stud. Juris. Vultejus in præfat. Jurisp. Rom.

In Theologia an usus aliquis sit Philosophiæ hodiè disceptatur & quæritur. Sunt qui Philosophiam ex Ecclesiæ finibus eliminandam & penitus proscriben-

dam censent, hanc in rem cùm sacrarum scripturarum, tùm piæ antiquitatis pronunciata sine termino accumulantes. Cæterum peccant hi in ἀκαιρίᾳ enormiter & iniurij sunt in donum illud, quo majus à DEO aut melius homini non est datum ullum. Etsi n. verum est, quod Gentium Doctor monet, omnes nostras rationes ad obedientiam Christi captivas ducendas esse; non tamen eo nos vult fieri stupidos ac brutos, vel potius bruta & pecora ipsa in rebus divinis: quandoquidem idem ille, qui per Apostolum jubet, ut submittamus intellectum mysterio fidei, per regium Prophetam prohibet; ne simus similes equis & mulis, in quibus non est intellectus. Et Berôenses laudantur, quod examinarint singula ab Apostolo dicta. Estq; hoc, quod Lutherus docet, Evangelium rectam rationem non tollere, sed informare potius & perficere. Quare si quandoq; paulô durius de rebus Philosophicis ex primitivâ Ecclesiâ patres, ut & Lutherus ipse loqui videantur, illud totum ad abusum ejus est referendum; sicuti testimonio ipsorummet dudum est comprobatum ab alijs.

Plato.

Cic lib. 1. q. Acad.

2. Cor. 10. v. 5.

psl. 32. v. 9.

Act 17. v. 11.

In Postillâ Eccles. supr. Evang. In principio erat verbum.

Ex adverso sunt alij, qui dictaturam Philosophiæ committunt super fidei articulos, nihilq; verum existimant, nisi quod humano intellectu capi potest, & ad regulas Philosophicas per omnia quadrat. Sed hi peccant ἐν ὑπερβολῇ, atq; ex eorum grege sunt, qui Calvino fraternitatis dexteram porrexerunt. Quamvis enim pleriq; eorum concedere videantur, imô apertis verbis scribant, Philosophiæ in Theologia non magisterium & dominium, sed famulitium destinandum ac permittendum esse; professio tamen illa facto est

Sadeel in præfat. de Meth. disp.

Martir. Class. 2. l. c. 5. 8.

contraria

contraria, uti evidenter patet ex controversijs de unione personali, communicatione idiomatum, de omnipræsentiâ carnis Christi, de cæna Domini; in quibus ita versantur, ut argumentis ex ratione ductis unicè pugnent, & quicquid rationi ac axiomatibus Philosophicis contrarium est, contradictorium statim proclament. Quid v. hoc est aliud, quam articulos fidei ex ratione dijudicare? Nota etiam est Zwinglij vox: DEUS credenda nobis non proponit incomprehensibilia. Quasi v. fides & ratio pari passu ambularent, & non potius fide incipiente desineret ratio. Error ergô iste, est verè detestabilis, quo fides cum ratione, fædissimâ profectô mixturâ, confunditur. Sed detestabiliorem illum adhuc reddunt Neoterici, Keckermannus & Goclenius. Ille n. Philosophiæ attribuit lucis spiritualis accensionem, & cultus invocationisq; divinæ excitationem; Hic v. fidei salvificæ confirmationem. Utrumq; Pelagianum & Synergisticum est, ideoq; nec ullâ ferendum ratione.

Wittaker in præfat. contr. de script. Zanchius lib. 3. de nat. Deorm.

lib. 1. syst. Theol. c. 4. part. 1. Metscet. in prætex. com.

Relictis ergô ac rejectis tàm in defectu quàm in excessu peccantibus, regiâ viâ tutissimi incedentes, Disciplinarum Philosophicarum sobriam cognitionem, futuro accurato Theologo non utilem modô, sed & apprimè necessariam esse arbitramur: Illud v. ratione eâ, quâ Philosophia instar ancillæ subijcitur Theologiæ; non v. instar heræ præficitur. Quod posterius fit, quando principia Philosophica constituuntur norma controversiarum Theologicarum, qui honor aliâs uni & soli verbo DEI deferendus erat. Et certè Philosophiam suis limitibus circumscriptam atq; contentam, verè nobilem servire servitutem Theologiæ multis confirmarem,

nîme Celſ. veſtræ clementiâ abuti vererer. Linquam iſta omnia, & tantùm adſcribam aliorum magni nominis Theologorum hâc de re judicia, quæ, ſcio, Veſt. Celſ. non adſpernabitur. Auguſtinus: Eruditio inquit, diſciplinarum liberalium modeſta ſanè atq; ſuccincta, & alacriores & perſeverantiores & comptiores exhibet amatores amplectendæ veritatis, ut & ardentius appetant & conſtantius inſequantur, & inhæreant poſtremô dulcius. Hieronymus: verè, inquit, quicquid in ſeculo perverſorum dogmatum eſt, quicquid ad terrenam ſcientiam pertinet, & putatur eſſe robuſtum, hoc Dialecticâ arte ſubvertitur. Damaſcenus idem ſentit, ut & ex recentioribus D. Pappus, Michäel Schæferus & alij. His addo graviſsimum dictum Clariſsimi Philoſophi & Theologi Schegkij, quod extat. lib. 1. de demonſt. Ego quidem, inquit, ſic judico, tum demum fore quietas Eccleſias, ſi aut Philoſophi veri dent operam Theologiæ, aut Theologi Philoſophentur piè. Taceo, quod hodiernum in ſcholis diſcentium aures eædem voces perpetuô circumſonent.

lib. 2. de ordin.

in Com. in Ezech.

lib. Dial. c. 2. in Epiſt. Hiſt. Eccleſ.

In παραινέσεις ad ſtudioſos The.

Ego v. Princeps Illuſtriſsime, diligenti, cùm rationum tùm judiciorum, pro maximâ Philoſophiæ in Theologiâ utilitate facientium, intuitu compulſus ſum, ut, ubi ſemel animum ſtudio applicueram Theologico, quo etiamnum nihil antiquius habeo, nec habebo unquam, & prima rudimenta cognoveram, de Philoſophiâ penitius excolenda conſilium inirem, & ſine morâ me illi darem; ſic tamen ut dextero oculo Theologiam ſemper adſpexerim. Nec me conſilij illius factiq; pœnitet, vel propterea quòd in ſtudio Theologico facilitatem

tatem non planè nullam per illud mihi comparatam esse intelligam. Ob certam a. causam, quam in præfatione ad lectorem expono, dissertationem opposui libro primo systematis logici Keckermanni, & publico φιλοσοφῶν καὶ θεολογῶν examini submisi; quam Vest. Celsitudini unicè inscriptam & sacram cupio. Idq; non modo, ut debitam meam Vest. Celsit. subjectionem declarem; verum etiam, quia illa mihi hujus mei studij Philosophici auctor quasi extitit. Cum enim ante annos non ita multos, ex inclutâ Vitebergensi Academiâ domum reversus, illorum, qui sanguine mihi juncti sunt, suasu & consilio functionem Ecclesiasticam Neostadij ambirem, & ad mandatum Celsit. Vest. concionem, cui & eadem gratiosè intererat, ibidem haberem, tum Celsit. Vestram, se quidem permittere, ut in locum ejus, qui discesserat, surrogarer, sed optare, ut studia mea benè cepta continuarem, dixisse, referebat vir Reverendus & Literatissimus Joachimus Taumannus ibidem Pastor. Hoc vero Celsit. Vestræ sermone audito tantoperè ego percellebar, ut animum, functione istâ valere jussâ, continuò mutarem, & Academiam hanc Rostochiensem repeterem. Et hoc divinitùs esse factum ex consequenti colligo. Quin etiam coram Celsit. Vest. hac meâ me dissertatione sistere volui, ut humilimè me, meaq; studia illi commendarem, sic etiam alijs nonnullis, quorum autoritatem negligere piaculum mihi sit, censentibus. Feci a. illud tantô confidentius, non solum, quòd Celsit. Vestrę munificentia in mediocriter doctos, & promptitudo juvandi, quos res in studio literarum constitutos destituunt, publicè sit nota: sed & quia abhinc non ita pridem Vir Clar. atq; Consultiss. Joachimus Clutenius

us

us Professor Argentinensis, Sympatriota meus colendus per alios me id monuit. Fore enim ut Cel. Vestra, studiosos aliquot Theologiæ stipendio ditatos & donatos in exteras Academias ablegaret. Addidit: se mei quoq; mentionem coram Cels. Vestrâ non sine gratioso clemētiæ favorisq; responsu ac significatione feciſſe. Cum igitur non voluntas studia ad altiorem pervehendi gradum, sed facultas mihi desit, ea Vestræ Cels. commendata & penitus tradita efflictim cupio. Atq; hę sunt causæ, quibus motus V.C. Celcissime Princeps, opusculum hoc Theologico-Philosophicum & lucubrationes juveniles, humilima mente offerre, dedicare & inscribere volui. Illas vero ut Cels. Vestra oculis adspiciat benignis, manibus acceptet gratiosis, humilimè & devotè oro, rogoq;. DEUS pater misericordiarum Cels. Vestram cum fratre, Illustrissimo, adeoq; cum universâ familiâ Megalburgicâ spiritu suo sancto regat, Angelornm exercitu tegat, omni benedictionum genere augeat, & in Orthodoxæ fidei incrementum, in patriæ emolumentum, in bonorum deniq; omnium solatium, quàm diutissimè servet, felicitet, secundet, Amen. Dabam Rostochij è meo Museo Pridie Calendarum Martij. Anno reparatæ Salutis cIↃ IↃ cXVII.

Illust. Cels. Vest.

subjectissimus humillimusq;

M. Casparus Movius
Parchim.

Cordato Lectori S.

CVm inveniantur Lector candide, omnia qui inuncant & harpagant aliena: non possum, quin tibi, quam ad quæstiones meas accedas, prius in frontispicio statim consilij & instituti mei exponam rationem atq; scopum. Multis n. illud videri poterit imprudens, adeoq; graviter reprehendendum. Nam vir bonus, præterquam quod sit εὐγνώμων καὶ συγγνωμονικὸς Arist. 6. Nic. temporis momentum nullatenus sibi negligendum censet. Et juvenes, cum prudentiâ careant, judices & duces eligendos non esse autor est Philosophus 3. Top. Quô accedit quod ab hoste, ob odium, judicium vix expectari possit salvum incorruptumq;. Quia ergô juvenis existam ego, & infestus Keckermanni hostis, illeq; dudum fatis concesserit, me manus à præsenti opere abstinuisse satius & melius esse, quis rectè colligere sibi videatur. Verum n. verô hæc & similia tanti non æstimo, ut Ea propter pro veritate hastam abijciam. Esto namq; sim juvenis. Anne v. à juvene de veritate judicium fieri possit? Egregiè profectô Aristoteles inter juvenes distinguit in proœmio Ethicæ, & lib. 6. ad quarum disciplinarum auscultationem & quomodo admitti debeant, pulcherrimè edisserit. Bern-

hardus in Epist. ad Theobald. militem —: senectus, inquit, venerabilis non est numero annorum sed potius merito morum computata —. Dein me Keck. ob religionem hostem esse, largior. Sed annon ideò sine affectibus res geri poterit? Quis se suorum affectuum servum dici patienter feret? Ésto Keckermannum vitam cum morte commutasse —. Inde v. contrâ Keck. scribere ejusq; errores examinare illicitum esse, non facilè πεπαιδευμένος concludet. Ratio n. suadet diversum, & experientia testatur aliud. Veritatem sanè divinus Magister tanti vult fieri lib. 1. Nic. ut illam amicis anteponere & ejus causa τὴ ἰδίαν ἀναιρεῖν cuivis bono conveniat. Et ubi non Aristoteles antiquorum tot seculis antè vitâ defunctorum deliria refellit? Neq; tandem cum εὐγνωμοσύνη & συγγνώμη, alterius ad imponendum incautis aptos errores refutare pugnat, ut illi, qui horum naturam dextrè callet, notum est ad unguem. Et licet quidem ipse Keck. suum systema non pro omnibus numeris absoluto venditarit, illud tamen non obstabit, quo minus à veritate aliena in eo notentur ab alijs. His ergo sic stantibus hujus meæ scriptionis finem esse volo, non inquietationem manium Keckermanni quietis ergastulo inclusorum —; non mortui condemnationem & provocationem, non vanæ gloriolæ aucupium, non eruditionis ostentationem: sed unicè

studiosæ

studiosæ juventutis informationem. Cum n. systema Keck. penè omnium juniorum teratur manibus, (quod illi non invideo) utile fore putavi, si ejus de erroribus præmonerentur & præmunirentur, ne venenum pro cibo veritatis salutari haurirent. Et quia præter multos philosophicos errores alios, Metaphysicam cum Logicâ crimine non ferendo commiscet, præcepta Philosophica detorquet & rebus divinis malè accommodat; nova insuper axiomata ad musteos errores Calvinianos palliandos fingit; notare hæc & examinare volui eo plane ordine, quo in Keckermanno reperiuntur. Aliam n. methodum sectari, non existimavi esse è re juventutis studiosæ. Hunc igitur in me susceptum laborem cum viris doctis non displicere intelligerem, publici juris feci. Te a. colende Lector, ut in judicando humanæ conditionis memineris semper, rogatum volo. Quæ restant examinanda in libro secundo & tertio systematis habebis; modô DEVS me superstitem clementer voluerit, brevi. Vale & mihi fave.

M. CASPARUS MOVIUS.

Epigrammata

AD AVCTOREM

LEsbia censendis fuerat quæ regula rebus
CASPARE, est studio Lydia facta tuo.
Si facit hoc nihili lucro plebs dedita, veri
Ex animo multum te studiosus amat.

PAVLVS TARNOVIVS TH. D.
& Professor primarius.

ALIUD.

NOn opus est verbis, ubi PORTVNALIA rerum
Præstò; non hederæ Vina falerna juvant.
Te quoq; , mi MOVI, studium pietatis, & ardor
Ingenij, signum militiæq; Novæ
Commendant satis; ostendunt, formatus ad unguem
Quam niteas variâ cognitione rei.
Non tua non igitur Genij conanima nostræ
Vocis egent; constant sat tua scripta bonis.
Hoc addo saltem monitor: Ne pergere cesses,
Crescat ut inseros gloria tanta dies.

JOHANNES AFFELMANNVS
TH. D. & Professor pub.

Kecker-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729226964/phys_0024
DFG

KEckermanne tibi dum ſtat ſuccurrere cauſæ
Calvini, variè Logicorum ſcrinia vertis
Invertisq;, id agens logico qui tincta colore,
Prodeat in ſcenam, & quod non eſt eſſe pute-
Tu Movi larvam hanc alios dum detrahis inter (tur.
Et fucum abſterges, laudo conamina: ſed tu
Pergito, non deerunt tibi debita præmia laudis.

IOHANNES QVISTORPIVS. SS.
TH. D. Profeſſor & Eccleſiaſtes.

ET jam Rame tuis contrà ſublimior auſis
Noſter Ariſtoteles Logico ſibi redditus arvo
Organa tractabat Rationis, & ipſa tuorum,
Harmonico facilis curabat vulnera ſucco.
Ecce matæologus toto ſyſtemate calvus
Blandior aſpectu primo, dum quælibet umbrâ
Spargit Ariſtotelis, methodi ac ſub imagine lætus
Audaci mala cuncta manu, pro nomine tanto,
Inſerit, hæreſeos (qui non ſe ſcire fatentur?)
Infelix lolium, & vah! non innoxia verba.
Ergo tuæ quodcunq; artis, quodcunq; laboris
Huc affers, præclare Movi, meliora ſecutus
Germina; nec pateris Logico gaudere Vireto
Lappasq; tribulosq; adverſaq; dogmata vero.
Accipio agnoſcoq; tui venerabile donum
Ingenij, & precor ut porrò quoq; vindice dextra
Creſcat in hos ſophiæ, cunctis plaudentibus, uſus.

Lbmq; ſb.
M. JOHANNES SLEKERUS phyſ.
P. pub. & pro tempore Decanus.

VEra loqui, ſentire, tueri & carpere falſa:
Addecet ingenuũ, Philoſophumq; virũ.
Vera, Movi, ſentis & dicis; falſaq; carpis:
Laudo te ingenuum Philoſophumq; virum.

JOANNES SIMONIUS
in alma ad Varnum Acad. p.p.

Quod peperit vitium, vivit post funera crimen,
Nec tumulus meritam sepelit cum corpore culpam;
Sæpius immoritur chartæ veri-inscia dextra,
Et falsi arguitur quæ fugit littera mortem,
Non quod patroni viduas erodere chartas
Livori volupe est & denti nulla timetur
Vindictæ forceps, Sed ne medicata Venena
Indoctos fallant annos, primoq; colore
Inficiant nondum-matura mente juventam.
Quod peperit Virtus vivit post funera Nomen,
Nec tumulus meritam sepelit cum corpore laudem.
Ergo tuum, Movi, non ultima Fama cathedræ,
Florebit nomen, nec laudem oblivia vincent.
Perge bonis avibus, felici sidere perge,
Et quam sperabit Keckus tibi Gloria cedet.

amicus tuus certissimus
M. IOACHIMVS STOCMAN. Rostoch.

Philosophia loquitur.

Scortillum dolor heu! nunc Ego: prisciùs
quæ Divûm soboles, & gravidæ sacrum
Mentis pignus eram: quæ fata publico
Usui, nex Animæ vocor.
Si causam rogitas criminis; En mihi
Objectant miseræ somnia, quæ traham
Sat lasciva sacris altius, & supra
Iovæ cunctipotentiam.
Vah prægrande scelus! Verùm age quî ream
Hujus me facient? Numina perduint,
qui me non proprio perdere crimine
Conantur varijs modis.
Te servent, Roseæ flos Academiæ,
Musarumq;, Movi, gloria; qui novus
Nostro Atlas decori, nunc valido meam
Famam Vertice sustines.
Orpheus ad superas Eurydicen suam
Auras blandisono carmine rettulit:
Me luci ingenio Movius & stylo
Felix, plaudite, vendicat.

fac. ἐγκώνως
IACOBUS BREIGERUS Neoburgensis.

QUAESTIO PRIMA.

An Logicæ Keckermannianæ definitio sit proba?

THESIS I.

PAucula prius de quæstionis hujus cùm necessitate, tùm utilitate, quàm expediamus illam, præmittere, curæ & operæ putamus precium maximum. Controversiam n. illã, quæ de logicæ genere, objecto, fine, in artis vestibulo & nõ in ipsa arte, ut perperã homines de scholâ Rami statuũt, rectè agitatur, κενολογίαν esse περὶ καπνοῦ καὶ ὄνου σκιᾶς, multis persuasũ est.

2 *Cæterum toto hos, quod ajunt, cælo deviare, tribus evidentissimis planum faciemus rationibus. (I.) Quodcunq; neglectum efficit, ut de re quâpiam veram & solidam habere cognitionem non possimus, illud in disciplinis susq; deq; non est habendum. At definitio neglecta & minus ἀκριβῶς assignata hoc facit. Ergo ea in disciplinis susq; deq; habenda non est, sed in eâ tradendâ multum operis & laboris ponendum. Minor probatur, quia definitio est λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων, Arist. 1. Top. c. 4. Est λόγος τοῦ τί ἐστι 2. Post. c. 10. Vnde ex opposito consequens est, definitione malè assignatâ rem malè declarari, explicari; Res a. malè explicata malè intelligitur.*

3 *(II.) Quodcunq; præbet fundamentum solvendi omnia dubia, quæ circa rem occurrunt, illud in artibus non est vilipendendum. Atqui hoc facit definitio. Zab. lib. 1. de medio demonst. Iac. Martin. Instit. log. lib. 5. c. 10. p. 98. E. (III.) Quodcunq; est principium præceptorum rectè informandorum in eo jure laborandum est. At definitio alicujus artis est principium præceptorum rectè informandorum. Kecker: Syst. log. lib. 1. p. 1. Ergo in*

definitione assignanda jure multum est laborandum: Ergo controversia, quæ est de genere, objecto & fine Logicæ non est inutilis quædam λογομαχία. Quî id? quia definitio genere, objecto & fine in accidentalibus, ut Logica est absolvitur.

4 Nunc ad rem: definitio logicæ à Keckermanno tradita est ejusmodi: Logica est ars dirigendi mentem in cognitione rerum, Syst. log. p. 1. Eadem tractatu 1. præcog. log. c. 2. paulò aliter informata extat. Verum definitionem hanc improbam esse ex eo liquet, quòd nec verum genus nec finem ullum sive internum sive externum habeat. Id quod planè & perspicuè probandum. Vitiosam 1. esse eam definitionem, in qua nec genus nec finis verus est assignatus ex ipso Keck. constat, quippe qui Syst. log. lib. 1. p. 235. talem ponit Canonem: Habitus definiuntur fine & objecto: adde præter genus.

5 Genus 1. quod ARS constituitur esse falsum, copiosè & solidè probat Zab. lib. 1. de nat. Log. c. 8. Nos secundum definitionem artis Aristotelèam (Luciani n. illam, quam toties ingeminant mundi novatores Ramæi ut falsam & ineptam, quam tamen non ineptè communis Germaniæ præceptor Dn. Melanchthon commendavit, rejicimus) ita instituti nostri probandi ergò procedimus: Omnis ars est ἕξις ποιητικὴ Aristoteles. 6. Eth. Nic. c. 4 Nulla Logica est ποιητική. E. nulla logica est ars.

6 Minorem probo ex genuino & proprio vocis ποιητικὴ sensu, qui licet nullibi disertè à Philosopho sit propositus, duplici tamen eum viâ investigari posse, statuo (1.) ex comparatione & oppositione trium operationum, θεωρίας, πράξεως, ποιήσεως. θεωρία talem dicit operationem, quæ intelligendi potentiam non egreditur, ideoq; præter habitum mentis, alium in inferioribus potentijs habitum non requirit. πρᾶξις notat operationem talem, quæ præter habitum mentis, appetitus quoq; sensitivi (in quo cum Arist. 1. Eth. c. ult. virtutem moralem collocamus) habitum requirit & essentialiter honesto est subordinata.

7 θεωρίας itaq; & πράξεως definitione taliter adumbrata, sic ulterius licet progredi: Quod non est θεωρία & πρᾶξις hoc est ποίησις, & vicissim alia differentia θεωρίας, alia πράξεως, alia ποιήσεως, quâ invicem sibi contra distinguantur, est constituenda. Si igitur θεωρία tantum operatio est intra intellectum recurrens & in eo manens: πρᾶξις v. extra intelligendi potentiam ad appetitum sese porrigit: consequens est firmum, ποιησιν ita-

σὺν talem notare operationẽ, quæ præter mentis habitum requirat insuper habitum corporis. (quod v. Suaretz disp. 44. s. 2. habitus corporis dari negat, in præsenti non moramur) At v. prius est. E. quoq; posterius, Ratio connexionis ex dictis est manifesta.

8 (2.) Quid ποιεῖν propriè significet, ex exẽplo ab arte ædificatoriâ petito nõ obscurè colligitur adeoq; hunc in modũ argumẽtamur: Quemadmodũ Architectonica in operando se habet, ita quoq; omnis alia ars. At Architectonica ita se habet, ut secundum intellectus regimen adminiculo membrorum externorum operetur in subjecto materiali, in eoq; producat formam sensibilem remanentem. E. omnis ars ita se habere debet. Et hoc est quod Schegkius lib. 5. demonst. ex Arist. 3. de cælo docet; τέλος ποιητικῆς ἐπιστήμης τὸ ἔργον.

9 Si quis v. excipiat ad syllogismi propositionem majorem, ex illo exemplo malè colligi & probari naturam artis ejusq; operationem propriam, cum juxta proverbiale dictum, in exemplis veritas non requiratur, & aliàs ipse Arist. in exemplis non sit accuratus, ut inductione aliquot locorum ostendi potest, & Schegkius cum alibi tum lib. 14 demonst. p. 415. testatur. Huic. Resp. 1. exceptionem istam concludere ab eo quod dicitur, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ad τὸ ἀεὶ, quod sæpè fallit. 2. Esse rationem diversissimam: nim. exemplo rem antè definitam declarare, & ex exemplo rei naturam & definitionem investigare, ut 6. Eth. c. 4. facit Arist. Ibi non necesse est esse exquisitum, hic. v. omninò.

10. Nec est, quod iterum nobis obveniat aliquis; Argumento hoc nostro ex censu artium secludi palæstricam, saltatoriam etc. quæ tamen artibus annumerari soleant, ut apud Arnisæum in notis ad Crellium videre est p. 30. Resp. n. Artem esse genus πρὸς ἕν, ideoq; πρῶτως καὶ ἀμέσως illis artibus competere, quæ in materiali subjecto operantur; δευτέρως autem illis, quæ quidẽ externis corporis membris, at non in materiâ crassiori laborant. Arist. v. exemplo analogati famosioris artem suo more declarare vel potius investigare voluit, ut etiã in physicis & Metaphysicis fecit. Stat igitur argumentum nostrum in concussum, quod à verâ vocabuli ποιεῖν interpretatione mutuati sumus.

11. Ex quâ duo elicimus sympersmata. (1.) distinctionem artis in mentalem & manualẽ esse futilem & ἀνυφάσιν ἐν προσκειμένῳ involventem. Vitatur a. eâ, præter alios, Donaldsonus in Epit. Ethicæ penè sub finem. Keck. syst. log. pag. 2. Hesselb. Theoriâ log. p. 7. (11.) falsum esse, quod Keck. tractatu 2.

præcog. log. & Scheiblerus, de nat. log. pag. 123. & libro sentent. p. 36. statuunt, producere opus ad artis genus pertinere, ad differentias v. ejus producere opus materiale vel immateriale. συδηεόξυλον: cum ad omnem artem vel habitus corporis requiratur. Imò quî hoc posit consistere, cum effectio, Scheiblero teste l. d. sit operatio relinquens aliquod opus, vel per quam efficitur aliquod opus, quod expletâ finitâq; operatione mânet, ut ædificatio, post quam est domus. Hactenus Scheib. Exquibus assumo, Logica non relinquit tale opus. E. logica non est ars.

12 Huic a. conclusioni se omnibus viribus opponunt cum Ramæis Scheiblerus & Keckermannus l. d. Et Kecker. quidem quatuor ad eam convellendam producit argumenta, quorum priora tria ἐνλέχνα sunt, posterius est ἀλεχνον. Ἀελέχνῳ igitur cum ultimo ἐνλέχνῳ, in quo difficultas nulla, relicto, duo priora ad vivum resecabimus.

13 Primum à perfecta enumeratione habituum tale: Logica non est νῦς nec σοφία, nec ἐπιςήμη, nec φρόνησις. E. erit τέχνη. Verum cum in hoc argumẽto solvẽdo egregiè versatus sit Zabarella. lib. 1. de nat. log. cap. 10. & 11. nobis hic licet esse brevioribus. Dicimus igitur Logicam distinctum ab istis quinq; 6. Eth. enumeratis, habitum constituere, quem instrumentalem appellamus; illos quinq; vero principales. Et hanc divisionem habituum esse legitimam pulcherrimâ ratione videas probatum apud VVerenbergium Exercit. Log. 1. theor. 14. p. 43. malè igitur in argumento Keck. instituitur collectio.

14 Idem argumentum extat apud Scheiblerum lib. de nat. log. p. 124. qui ad nostrã responsionẽ excipit duo, caq; argumentis stabilire annititur. Vnũ est; Logicã non rectè definiri per instrumẽtum. Probat illud dupliciter (I.) Instrumentũ est aliquid relativũ: logica a. est aliquid absolutũ. Absoluti a. genus non potest esse respectivũ. (II.) Instrumentale est accidentale sicut habitui ita etiã logicæ. At genus debet rei, cujus est genus esse essentiale. Vtroq; argumẽto etiã utitur Keck. tract. 1. præcog. log. p. 4.

15 Cæterũ ad primũ argumentũ Respõdet Heßelbeinius theor. log. p. 18. Distinguo ait, inter relativũ secundũ esse, quod semper in prædicamẽto relationis & nunquã in prædicamento absoluto Zab. 1. de princ. rer. nat. c. 9. Keck. de relat. Quod attinet relativũ secũdũ esse, illud nõ potest esse rei alicujus absolutæ genus. At v. relativũ secũdum DICI quod naturã quandã absolutã cõnotat, Scal. de c. l. l. c. 93. 127. propter naturã illã absolutã potest alicujus absoluti esse genus. Error igitur distinctionis seu à non distributo ad distributum. Hactenus Heßelbeinius.

Nos

16 Nos breviter ita: omne organõ, omnes potentias, õnes habitus, õnesq; facultates trãscendentalẽ relatione in essentiâ suâ intrinsecè involutã habere, eamq; cũ re absolutâ optimè stare posse, ut fusè docẽt Metaphysici. Confũditur ergo in argumento relatio transcendẽtalis cum prædicamentali, quæ confusio nullâ est ferenda ratione. Et λεγικωλάλως ratione essẽtiæ genericæ Logica definitur per instrumentum secus ac statuit Finckius part. 1. Sched. f. 44. p. 73.

17 Ad 2. Resp. verum esse quod omnis species generis sui sit accidẽs, Animal n. est homo per accidens Zab. lib. 1. de nat. c. 15. lib. de specieb. demonst. c. 15. Log. Crellius log. p. 614. verũ non vice versâ genus est accidens speciei, animal n. non est acidens hominis. Esto igitur instrumẽtale esse accidat habitui, falsũ tamen est, habitum esse accidere instrumento secundum illud instrumentorum genus quale est Logica; quod sine probatione assumit argumentum.

18 Alterũ est: Logicã cõtineri sub vulgatis istis quinq; habitib. & nõ opus esse, ponere sextũ sub quo cõtineatur logica probat illud vicissim geminâ ratione. (1) quia logica. cõmodissimè referatur ad artem. II. Si Logica faceret distinctum habituminrellectivum tum insufficiens esset enumeratio facta ab Aristotele.

19. Sed Resp. ad primã rationẽ, eam λαμβάνειν, ἐν ἀρχῇ, ut antè firmiter probatũ. Ad alterã, Aristoteli tantũ habitus principales enumerare & exprimere eo loci fuisse propositum, utut loquatur in genere. Confirmatur: Habitibus istis, quos l. d. recẽsẽt Philosophus, anima nostra enunciat verũ & falsum. Arist. c. 3. d. l. At logico habitu anima nostra non enunciat verum vel falsum. E. Interim si cum D. Cramero in disp. log. implicitè habitus instrumentalis in definitione scientiæ mentionẽ esse factam dicas, non quidem refragabimur. Quod v. Zabarella & alij logicã nõnunquam dicunt efficere opus, ex eo nihil firmiter coucludere potest Scheib. cum hoc tantum fiat ob analogiã, sicut nec ex eo rectè colligi potest logicã esse artẽ, etiamsi Arist. sæpe dicat syllogisimum ποιεισθαι Vide Arnisæum in notis Crellij p. 24.

20. Alterum Keckermanni argumentum est: Omnis operatio, quam ex eruditionis habitu homo edit, seu õnis operatio erudita, ut loquitur Scheib. p. 127. l. d. est triplex (1) θεωρία (2.) πρᾶξις (3.) ποίησις Arist. 6. Met. c. 1. 6. Eth. c. 2. nec inventus hactenus, qui quartam daret. Operatio a. quam ex habitu logico edimus, nõ est θεωρία, nec praxis E. est ποίησις Resp. argumentum hoc primo quidem intuitu speciosum apparere, anxius tamen & exquisitius excussum suâ sponte concidere. Damus igitur quartã operationẽ, quæ nec sit θεωρια nec πρᾶξις nec ποίησις propriè dicta, quæq; licet proprio egere nomine videatur, exactè tamen respondeat naturæ logicæ seu instrumenti, ut meritò operatio instrumentalis nuncupetur.

Et

21. Et non esse confictam quartum hanc operationem sed ex ipsâ instrumentalium habituum natura derivatam, illi est notum, qui habituum principalium & instrumentalium differentiam probè percepit. Argumentum quod Scheiblerus l.d.p. 123. in quæstionis hujus frontispio ponit, Habitus secundum quam sit opus, est ars. At Logica est talis habitus. E. stantibus ijs, quæ paulo ante disputavimus, per se corruit.

22. Julius Pacius in proœm. Log. p. 1. & 2. alio argumento vincere allaborat, Logicam esse artem, quod argumentum cum semel hanc controversiam ingressi simus, non possum, quin altius repetam & expendam. Ita ille: Cum Logicus sit habitus quidam animi veritatis particeps, hujusmodi v. habitus, auctore Arist. lib. 6. Eth. c. 3. sint quinq; Intelligentia, scientia, sapientia, prudentia, ars. Logica a. nec scientia nec sapientia nec intelligentia nec prudentia sit, relinquitur ut sit ars. Deinde idem obtinere se posse putat differentiâ actionis & effectionis: Inter actionem & effectionem, ait, hoc discrimen ponit Arist. quod actio nullum habet alium ulteriorem finem sed ipsa est ultimus finis, ut actio secundum virtutem, quæ per se est expetenda, non alterius finis gratiâ: Effectio v. non est ultimus finis sed habet alium ulteriorem finem, id est opus quod efficitur. Vt ædificationis finis est domus. Quo circa cum logica efficiat Syllogismos in gratiam ulterioris finis, hoc est, scientiæ, meritò dicitur ars.

21. Sed ut primò ad posteriorem respondeamus rationem, ex antè dictis de ποιήσει perspicuum est, producere opus non esse arti perpetuum, cum quædam in ipsa operatione desinant: item opus, quod ab arte producitur debere esse sensibile. Ad priorem rationem respondemus: Habitum animi, qui per se & sui causa veritatis est particeps, esse vel intelligentiam, scientiam, etc. At Logica non est habitus per se veritatis particeps & sui causâ, sed tantum in gratiam aliorum habituum. Probo: Logica tota occupata est in notitionibus secundis, at earum veritas per se est nulla, sed veritatem habent in notionibus primis Zab. lib. 1. de nat. Log. c. 15.

22. Quod præterea logicus habitus sui causa veritatis non sit particeps, ex eo patet, quod logica sit habitus instrumentalis adeoq; tota in gratiam alterius, ut mox, latius probabitur.

23. At huic Argumento Pacius contra venit sequenti discursu: Falluntur, inquit, qui putant, Logicam non referri ad ullum ex quinq; habitibus animi ab Arist. propositis 6. Eth. c. 3. sed esse habitum quendam instrumentalem

talem à quinq; illis habitibus, quos vocant habitus principales, distinctum. Falluntur, inquam, quia Philosophus eo loci habitus instrumentales non omittit, cum ponat artem, quæ est habitus instrumentalis, ut ars conficiendi frænos est instumentum artis equestris, quia frenum est instrumentum equitis. Atq; ita logica est instrumentum Philosophiæ, quia Syllogismus est instrumentum Philosophiæ. E. logica est habitus instrumentalis, id est ars.

24 Hacteuus Pacius: cujus sententiam syllogismo includemus: Qui habitus refertur ad aliud & cujus esse in usu tantum consistit, ille est instrumẽtalis. Instrumentum n. illud esse dicimus, quod cum propter aliud sit tanquam propter finem, ipsius ea tantum est natura, ut ad illum finem assequendum sit utile: quô fit ut illud propriè dicatur instrnmeutum, quod amotâ utilitate ad illud, ipsum per se expetendum non est. Zab. lib. 1. de nat. log. c. 10. At omnis ars est talis habitus. E. Minorem probare vult inductiane, quæ licet quidem unico tantum constet exemplo, potest tamen facile compleri, cum nulla videatur posse adduci ars, quæ non sit àlterius gratia idq; saltẽ Politicæ. Et huic probationi non obscurè favere videtur Arist. 1. Eth. c. 1. ubi χαλινοποιητικὴν ὑπτικῇ & hãc στρατηγικῇ omnesq; omnino artes πολιτικῇ subesse docet.

25. Sed Resp. (1.) posito, omnem artem essentialiter esse instrumentalem, non tamen actutum sequitur, logicam esse artem, ob ea, quæ superius de artis naturâ diximus. (2.) plenius ex Methaphysicis, quodnam proprium ingenium, quænam nativa indoles habituum principalium & instrumentalium sit, repetendum. Habitus ergô principales definiũtur, qui proprium, determinatum & reale subjectum sive contemplationis sive Operationis sive tractationis habent, & propter se sunt & addiscuntur. Instrumentales, qui certum & reale subjectum tractationis non habent, & quos sibi expetit & fabricat intellectus non propter se sed propter alium finem in habitibus realibus acquirendum. Vide Iac Mart. lib. 2. Exercit. Met. Exer. 9. th. 5. p. 981. 994.

29. Ex his contra Pacium argumentamur (1.) Si ars est habitus instrumentalis, pro subjecto tractationis sibi vendicabit Ens rationis, ut exemplo Logicæ, Rhetoricæ & Gtammaticæ patet, quæ verè sunt habitus instrumentales. At posterius non est, ut omnium artium inductione est clarum. Ergo nec prius. (2.) Omnis ars habet certum & determinatum subjectum. Nullus habitus instrumentalis habet certum subjectum. E. nulla ars est habitus instrumẽtalis. (3.) Si ars est habitus instrumẽtalis, erit ea propter finem in habitibus

tibus realibus nim. Intelligentiâ, scientiâ, sapientiâ, prudentiâ, acquirendum. At posterius non est, quid n. saltatoria, sutoria &c. ad intelligentiam, scientiam. &c.? Ergo. Rationem connexionis vide lib. 1. Top. c. 9. (4.) Si ars est habitus instrumentalis tantum propter aliud expetetur. Arist. lib. 1. de part. animal. c. 5. lib. 1. Eth. c. 7. lib. 8. Eth. c. 2. At posterius est falsum. E. quoq; prius. Probo assumptum: Omnis virtus propter se expetitur. Arist. 1. Eth. c. 7. omnis ars est virtus, nim. intellectualis, ut puncto & calculo omnium dextrè philosophantium constat. Ergo omnis ars propter se expetitur.

27 His ita positis ad argumentum Pacij Resp. per negationem Minoris: Quamvis enim ars omnis aliud propter appetatur, tamen propter seipsam appetitur quoq;: id quod absurdum videatur nemini, cum Arist. l. d. tria bonorum genera proponat, quorum primum tantum propter aliud cupitur, ut instrumenta: secundum partim propter se, partim propter aliud, ut honor, voluptas, virtus: Tertium tantum propter se, ut summum bonum. Huc faciunt, quæ docet Zab. lib. 1. de nat. Log. c. 11. p. 26. habitum non esse instrumentalē ea ratione, quâ aptus est operari, sed quando ad alterius habitus adeptionem dirigatur & propter illam est tanquam propter finem &c. Imò huc pertinent, quæ habet Slekerus in prælect. Logicis: Ea, inquit, præstantium rerum conditio est, ut utilitatis bonitatisq; suæ radios spargant etiam extra & ultra primæ inventionis horizontem: Hucusq; ergo ostendimus, Logicæ genus accuratum non esse artem.

28 Relinquitur ergo ut sit habitus instrumentalis. Cujus evidens est argumentum illud, quod Logica tantum propter disciplinas reales addiscatur. Nā quod Petrus Tartaretus in proœmio Logicæ docet, Logicam etiam propter se esse appetibilem, in eo fallit & fallitur, ut notum quoq; ijs est, qui nondum ære lavantur.

29 Hucusq; de argumento Pacij. Et licet quidem ex his maximam partem pateat, quid ad ea, quæ de genere logicæ in vindiciis Systematis logici Keck. contra M. Iohannem Donnerum Adamus Raßius them. 3. περίσεως part. disputat, sit reponendum; tamen in gratiam studiosæ juventutis sigillatim ea videre juvat. In solutione ergo argumentorum Iohannis Regij obtendit (1.) usum verbi ποιεῖν apud Arist. non esse perpetuum: nam in generali usu, inquit, est facere seu efficere opus, sive in alio sive in seipso, nihil interest. (2.) Logicum etiam suum opus facere posse in alio E. g. quando vel ipse systema alicujus disciplinæ componit, vel orationem aliquam Ciceronis retexit.

(3.) distin-

ctionem artis, quæ duplex, universalis & particularis: hanc generare effectum sensile, illam non: hanc extra se operari in alio subjecto, illam non. (4.) artem simul ac discitur, opus non producere totum quidem, interim tamen partem.

30. Cæterum ordine Resp. ad 1. esse hoc verum, at μηδὲν πρὸς τοῦτο, cum hoc loco quæratur quænam genuina vocis ποιεῖν sit significatio in definitione Artis Aristotelicâ. Saltat ergo extra sepem Rassius Polonus. Ad 2. Istud pugnare cum tertio, quandoquidem in hoc logica dicitur ars universalis, quæ in eodem subjecto cum opere perseverat; quod si ita est, quî opus potest facere in alio? Neq; insuper Systema aliquod est opus logicum, ut sine probatione assumit. Ad 3. Distinctionem istam esse inanem & omni fundamento destitutam. Nam in quæstione est, an Ars 6. Eth. definita sit talis, quæ opus sensile non producat, vel membris corporis non operetur, hoc est, an sit universalis, uti loqui mavult Rassius? Et nos negamus fundamentis antè adductis, ille affirmat solis verbis. Ad 4. esse falsissimum, artificem simul ac artem discit, operis partem producere. Neq; n. manum operi admovere potest ullus, nî præsciat quomodo operari debeat. Discipulus architecti non operatur nisi prius teneat Præcepta, ad quæ suas dirigat operationes.

31. Deinde idem Rassius excipit quædam ad genus à nobis positum, nim. ad habitum instrumentalem. (1.) habitum instrumentalem prædicari de logica tanquam accidens de subjecto & non ut genus de specie. (2.) Logicæ genus esse instrumentum. E. non habitum instrumentalem, cum nullum instrumentum sit habitus instrumentalis, ut nec causa effectus, nec fabricans instrumentum, ipsum instrumentum quod fabricatur. Sed Resp. utrumq; petere principium. Prius, quia tota logicæ essentia est in usu: posterius, quia instrumentum & habitus instrumentalis hic concidunt; unde probatio adjecta suâ sponte corruit. Certum est non omne instrumentum esse habitum; Certum & jam quendam habitum esse instrumentum seu instrumentarium; ratio est manifesta. Sin v. hoc velit, habitum logicum fabricare instrumenta, utpote notiones secundas, & ob id ipsum habitum non posse esse instrumentarium, sciat (1.) causam principalem istarum notionum esse intellectum. (2.) novum non esse, ut unum instrumentum interventu alterius instrumenti conficiatur, ut notum est ex officinis artium Mechanicarum.

32. Tertiô suæ θέσεως καταασκευὴν ponit, quæ talis: habitus Organicus non est verum genus logicæ. Probat (1.) quia Arist. indens genera

disciplinis 6. Eth. nullam habitus organici mentionem fecit. (2.) quia habitus instrumentarius non est unū unitate vocis & significationis. At unius speciei genus debet esse unum unitate vocis & significationis. Significatione unum esse debet, quia unum est essentiâ. Voce, quia hæc est imago rei, ergo ejus unitati respondere debet. Antecedens probat, quia alius formari potest conceptus habitus & alius instrumenti, non secus ac alia notio est animalis, alia rationalis. (3.) quia Physicæ, Methaphysicæ, & Mathematicæ, quantumvis habitus sint speculativi, genus nō est habitus speculativus, nec Ethicæ, œconomicæ, Politicæ genus est habitus practicus, licet sint habitus practici, sed illorum genus proximum est scientia, harum a. prudentia. Ergo & logicæ, licet sit habitus organicus, genus non erit habitus organicus.

33. Resp. Ad (1) Arist. 6. Eth. non fuisse propositum genera disciplinis indere: hoc n. Metaphysici officiū esse in disputationibus nostris Ethicis docemus. Scopus v. Arist. in Ethicis dum quinq; habitus mentis explicat, alius fuit. vnde nec habitus instrumētarios ibi tradere necessè habuit. In Metaphisicis v. Entis analogatū famosius nempè substantiā potissimū spectat, accidēte ferè neglecto, unde nec ibi habituū instrumentariorū mentionē injicit. Illum tamen agnoscere habitus instrumentales luculēter patet ex lib. 1. Top. c. 9. Quod præterea Rassius habitū instrumentalem artificiali rectè condistingui negat, ad id responsio ex ijs, quæ circa argumentū Pacij diximus, est manifesta. Ad (2.) Resp. primū negādo genus unius speciei necessariò esse unum unitate vocis. Potest n. complexum esse voce quod tamen incomplexū est significatione, uti in doctrina anteprædicamentali inculcant Logici, & est res per se nota. Deinde licet alius conceptus possit formari habitus, alius item instrumenti, hoc tamen vnitati significationis non repugnat, nam homo unum est unitate significationis, qui tamen in plures conceptus potest resolvi, sic animal genus hominis unum est, de quo tamen formari potest conceptus Entis, substantiæ, corporis, corporis viventis. Ad (3.) Illud nostræ sententiæ non obstare. Cum enim proximius genus non sit, vel nomen ejus, si sit (quod tamen non affirmo) extet, nihil obest, quo minus rectè definiatur Logica per habitum instrumentalem. Et sane si habitus instrumentalis ad logicam ita se habet ut habitus speculativus ad Physicam etc. utiq; instrumentale esse ingredietur constitutionem logicæ. At prius videtur hoc argumento concedere Rassius, quod tamen ante negavit. E.

Dehinc

34. Dehinc probandum, finem verum sive internum sive externum in definitione Keckermanni non assignatum esse: Et quidem I. de interno hoc ita demonstro, Finis Logicæ internus est Syllogismus (quem Pacius cum Scoto perperam subjectum Logicæ facit) vel ipso judice Keckermanno lib. 1. Syst. Log. pag. 165. Ad illum enim omnia, quæ in Logicis tractantur, proximè referuntur, estq; in potestate logici semper. At in definitione Syllogismi mentio fit nulla. Ergo finis internus non est assignatus. Vitiosissimè v. hoc factum esse juxta hypotheses Keckermanni, proprijs ipsius verbis ostendere non est operosum. Lib. 1. Syst log. pag. 167. scribit: Finis ingreditur essendi rationem, puta in accidentibus instrumentalibus, pag. 225. accidentium essentiam ingreditur causa efficiens & finalis pag. 224. ex 2. Phys. cap. 2. & 1. Oecon. c. 1. allegat: cujus unumquodq; gratia est, ea illius natura est. Vnde argumentum. Quicquid ingreditur rei essentiam, illius mentio in definitione est injicienda. At finis Logicæ ejus essentiam ingreditur. E. ejus mentio quoq; erat facienda. II. Neq; finem verum externum in definitione Logicæ expressum constat. Est n. finis Logicæ externus Veritas, non quidem quatenus illa spectatur in actu signato; ita n. Metaphysica ejus contemplationem subit: nec quatenus in actu exercito consideratur: Sic n. omnium est disciplinarum: sed quatenus in actu intentionali spectatur, hoc est, veritas est finis Logicæ, quatenus intenditur, seu quatenus ea latens vel obscurior ratiocinatione eruenda & manifestanda est. Sed nec veritatis, ut dictum, mentio fit ulla.

35 Intellectum v. in cognitione rerum dirigere pro ultimo fine vendicare videtur Keckermannus, sed in eo quoq; errat. Probo: (1.) Actus & officium logicæ non est ejus finis. Notandum n. est, inquit Crellius lib. 1. Log. cap. 1. pag. 11. hæc tria; finem, opus, officium idem non esse. Officium artis, quâ operatur ipsa, certa efficiendi ratio est, ut Architecturæ architectari. Opus quod & finem internũ appellant, quod post actionẽ manet, veluti domus. Finis externus seu usus, cui opus illud destinatum est, veluti habitatio. Et habet hæc destinctio fundamentum in libro 1. Eth. Nic. cap. 1. ubi docet Philosophus si ad operationem quandam sequatur opus, tum non operationem sed finis locum opus tenere. At dirigere intellectum est actus & officium Logicæ: sequitur enim ad istam directionem intellectus rectitudo sive veritas. E. dirigere non est finis sed

officiū logicæ. (2) Vltimus finis est, in quo acquiescimus. sed in directione intellectus logica non acquiescit. E. Minor probatur, quia ipsa directio est propter veritatem. Vocamus 4. officinm logicæ, illud efficere, quo finem consequatur. Astipulantur nostræ sententiæ Fonseca lib. 9. Met. p. 553. officium Dialecticæ est positum in dirigendis operationibus intellectus. Slekerus in prælect. log. Logicæ proprius actus est potentiam ratiocinandi dirigere & formare. Regius lib. 1. problem. log. p. 64. Mentis operationes dirigere proprium esse officium logicæ, patet ex omnibus præceptis in logica tota traditis. Scheiblerus idem sentit in lib. de nat. Logicæ. stat igitur nostra positio. Definitionem Logicæ, Keck. & vero genere & vero fine esse destitutam, adeoq; falsam. Id quod erat demonstrandum.

Quaestio Secunda.

An systema seu præcepta Logicæ propriè nomine Logicæ veniant?

Thesis I.

Keckermannus quid de quæstione statuat propositâ, ex propriis ipsius verbis colligere non est difficile. Ita n. pag. 1. scribit: Hoc loco id solum repetemus, ut artis omnis, ita Logicæ etiam vocem dupliciter usurpari; primò pro habitu ipso in mentem per præcepta & exercitationem introducto: deinde pro Præceptorum Logicorum comprehensione seu systemate, quale nunc tradimus pro Logico habitu ex præceptis, usu accedente, acquirendo &c Et tract. 1. præcog. Log. p. 2. non contentus duplici vocis Logicæ acceptione, quadruplicem affert docetq; systema præceptorum Logicorum ab hoc vel illo autore conscriptorum: ut cum dico Logica Aristotel. Philippi &c. artē dici posse metonymiâ causæ pro effectu.

2. Cæterum duo ad hæc dico non pro autoritate sed Academicâ libertate, de quâ Cicero eleganter lib. 5. Tusc. quæst. ad Brutum. 1. appellationem Logicæ præceptis Logicis, etiamsi in eo sensu οὐ ἐν τῇ πραγματείᾳ vocabulo cum vulgo utantur

vltantur, ut Clar. Finckius part. 2. Sched. f. 24. p. 195. monet, tamen improprijßimè & maximè καταχρηστικῶς attribui II. præcepta Logica causam habitus logici quidem esse, sed non nisi ὀργανικὴν. Vtrumq; probo: prius ita: (1.) Omnes disciplinæ res ipsas nobis repræsentare debent. Zab. lib. 1. apolog. c. 2. Nulla præcepta res ipsas repræsentant, nisi per accidens. Idem ibidem. Sunt n. notæ & signa conceptuum, ut docet Arist. lib. περὶ ἑρμην c. 1. E. nulla præcepta sunt disciplina ipsa. Ergo nec logica præcepta sunt & dicuntur ipsa Logica (2.) Quà in acceptione Arist. 6. Eth. Nic. disciplinas definivit, ea sine dubio omni est proprijßima & accuratißima. Ad definivit prout sunt in mente, non v. in Charta. E. quatenus considerantur in mente proprijßimè taliter appellantur. Minor exinde probatur, quia habitum mentis earum genus accepit Arist. (3.) Accidens quod subjecto alicuj inhæret, illud denominat sic, ut παρωνύμως de eo prædicetur. Atqui præcepta Logica pueros, etsi ea teneant, tamen non denominant, ut ob id dicantur logici. Ergo præcepta logica non rectè insigniuntur titulo logicæ; aliàs n. memoriæ mandata pueros denominarent Logicos, quod est contrà rationem.

3. Imò præcepta quamvis memoriâ teneantur, non tamen posse dici Logicam propriâ loquendine consuetudine Clar. Sclek. geminâ probat ratione in prælect. log. (1.) quia logica sit habitus intellectus præcepta vero sint in memoriâ, quæ animæ sentientis est facultas (2.) quia memoriæ præcepta possunt esse insixa etiam non intellecta. Sicut ergo fumus appellatur ignis, ita quoq; præceptis logicis appellatio Logicæ tribuitur, cum ea hujus tantum sint ὁμοίωμα & simulacrum.

4. Quæ adversus hæc à M. Severino Slutero adducuntur in syncrisi controversiarum c. 4. ea perpetuò καταβάνει ἐν τῇ ἀρχῇ signumq; cum signato quam turpißimè confundunt, nec ullam difficultatem habent, ideoq; ijs refellendis immorari sit vanißimum. Posterius ita probo: Si ipse intellectus fabricat sibi species intelligibiles, utiq; princeps causa habituum in se erit idem. Ratio connexi est, quia habitus in mente producuntur crebra ejus agitatione & actione, quæ non est absq; speciebus intelligibilibus. At verum est prius, ut docent physiologi. E. verum etiam posterius. Non ergo κυρίως sed ὀργανικῶς, ut dictum, ad habitum mentis gignendum concurrunt præcepta, quatenus tantum signa sunt similis conceptus, quem in se formavit præcepta tradens, ad quæ intellectus discentis conformem quandem speciem intelligibilem fabricare debet & potest.

QUAESTIO TERTIA.

An logicæ objectum sit ratio seu intellectus?

THESIS I.

DE *hac quæstione Keckermannus ita p. 2.* Objectum circa quod versatur logica est mens, id est, ratio & intellectus seu cogitatio quævis hominis & præcog. log. tract. 1. p. 4. sic mentem Vberius explicat. Objectum logicæ, inquit, est duplex: prius est id, quod dirigit; alterum est id, ad quod intellectus noster per logicam dirigitur. Objectum, quod Logica dirigit, est ratio sive intellectus & cogitationes hominis: ea n. sine normis post lapsum rectè operari nequit: objectū ad quod dirigitur & ordinatur, sunt res in naturâ positæ: ad has n. intelligendas & cogitationibus comprehendendas intellectus quærit normas logicas.

2. *Circa hæc Keckermanni, hypothesi, nobis de Logica artificiali sermonem imp[illegible]sentiarum esse, permissâ, duo notamus: Vtrū quod statuit, cogitationem hominis quamvis esse objectum logicæ: Alterum, quod res vocat objectū ad quod intellectus dirigitur & ordinatur. Vtrum ⅔ minus appositè dici, ex probatū. Posterius ita (1.) Ad quod intellectus humanus naturâ per se & sponte suâ sine operandi difficultate fertur, ad id minus accuratè & recte per logicam dirigi & ordinari asseritur & dicitur. Rationem petis connexionis? En tibi! Logica directio est artificialis, quâ opus non est, ubi ipsa natura rectè operatur. Ars n. supplet defectum naturæ, cum indigentia nobis artem pepererit. Vbi ergo natura non deficit, ibi ars supervacanea: Vbi natura deficit. Ibi ars incipit. At intellectus humanus naturâ sine difficultate fertur ad res, quod videas in imperitissimis. Ergo minus recte per Logicam ad easdem dicitur dirigi.*

3. (II.) *Intellectus per Logicam rectè dirigitur ad id, quod est ejus finis. Ratio licet per se sit manifesta, ex eo tamen insuper probari potest, quod dirigere mentem sit officium Logicæ, ut ante ostensum. Iam v. officium alicujus habitus non est nisi ob & ad finem At non res sed veritas est finis Logi-*

ca

cæ. E. (III.) Si intellectus dirigitur per Logicum habitum in cognitione rerum, non dirigitur ad res absolutè. At prius est Keckermanni in definitione logicæ p. 1. E. etiam posterius sit ejusdem. Huc faciunt quæ habet Arnisæus in notis Crel. p. 45. Logica dum mentis nostræ operationes ad veritatem dirigit, non docet res ipsas apprehendendas (aliàs omnes scientiæ & disciplinæ essent partes Logicæ) sed modum & instrumenta apprehendendi, seu notiones secundas, quibus animus ad veritatem penetrandam dirigitur.

4. Objectum Logicæ ergò majori ἀκριβείᾳ in mediatũ & immediatũ distingui cũ Sclekero, ipsaq; veritate arbitramur; dicentes immediatum, ipsum intellectum hominis præsertim juxta eas operationes; quæ errori sunt propositæ, non quidem prout eæ absolutè in se sub contemplationem venire possunt: Itan. Physicus illas sibi vendicat, sed quatenus ad primævam reducendæ sunt rectitudinem facilitatemq; in veritate investigandâ: Mediatum v. res, non quatenus res sunt, nã sic à disciplinis considerantur realibus, nim. in ordine ad affectiones reales, sed quatenus notionibus subsunt Logicis sive secundis, seu quod idem, in ordine ad affectiones seu notiones Logicas: neq; hoc respectu res omnes, qui multorum error est Logicæ subjiciuntur de jure. Probamus (1.) DEVS (2.) res singulares (3.) res in quibus veritas est obvia, Logicæ non submittuntur. Et primum quidem patet: quia DEVS est infinitum & simplicissimum Ens. Secundum: quia res, de quibus non est disciplina Logicæ non subjiciuntur. At singularium non esse disciplinã, Porphyrius in Isag. c. 2. ex Platone docet. E.

5. Tertium & ultimum: quia finis Logicæ est veritas, quæ eruenda ideoq; latens est. Id quod origine Logicæ optimè probari potest: Quarum ergo rerum veritas est manifesta, ea de jure Logicæ non subjiciuntur At multarum rerum veritas est manifesta. E. Idem conceptis verbis statuunt Lovanienses in præcm. Logic. ubi materiam Logicæ dicunt omne quod tanquam dubium & incertum accipitur. Hinc jam probamus posterius, nim. Non quamvis cogitationem hominis esse objectum Logicæ Cogitationes quæ sunt de rebus manifestis non diriguntur à Logicâ. Non n. excedit effectus suam causam. At tales cogitationes multæ sunt E. Deinde Quæ cogitationes sine arte naturali lumine expediuntur rectè, eæ non sunt subjectum Logicæ. At multæ cogitationes ejusmodi sunt de rebus, in quibus veritas patet ipso etiam Keck. teste pag. 2. E. falsum est quamvis cogitationem Logico dirigimini subjici. Rami Ens & Non ens Item Scheibleri Ens in universâ suâ latitudine sumptum reijcimus.

6. Objectum

6 *Objectum Logicæ secundarium esse orationem, quatenus mentis conceptus respicit ijsq; aliquid significat, docet Keck. p. 3. sed falsò hoc fieri sequens probat discursus. Pars alicujus disciplinæ non est ejus subjectum. Est n. hoc extra disciplinam. Zab. de trib. præcog. At oratio, nomen, verbum sunt pars essentialis Logicæ, ut patet ex libro περὶ ἑρμηνείας. Nec negat Rassius in vindicijs them. 3. κρίσεως part. ubi ex professo Logicum proponere canones vocis affirmat: De subjecto a. suo nulla disciplina ex professo proponit Canones. Est ergo Rassij argumentum invertendum. Agit a. Logicus de oratione, quatenus rectè & distinctè per eam conceptus sunt efferendi: vox n. quæ syllogismum ingreditur, distincta sit non ambigua &c.*

QUAESTIO QUARTA.

Utrum discernere verum à falso sit Logicæ finis angustior?

THESIS I.

AFfirmat *Keck. p. 2.* Atq; hinc, inquit, licet ejus artis (Logicæ) tùm inæstimabilem utilitatem perspicere, túm amplitudinem reputare, utpote quæ non tantum veri à falsò discretione debeat nimis anguste æstimari, sed etiam obscuri illustratione & ordinis rectitudine, quæ omnia eo, quem (puta directionem mentis) in definitione assignavimus, fine comprehenduntur. *Et tractat. 1. præcog. log. p. 5. in hæc verba scribit:* Proprius Logicæ finis est ordinatio & directio cogitationum sive actuum intellectus humani in rerum cognitione.

2. *Et hunc solum esse verum & proprium Logicæ finem ex tribus immotis boni finis Criterijs & γνωρίσμασι probare conatur. I. Est. omnis finis essentialis debet esse suo finito adæquatus, ita ut ad hunc omnia in arte referri possint. II. Omnis finis debet esse unus. III. Finis in artibus non conjecturalibus (talis est logica) poni debet positis medijs. Quibus criterijs præmissis tandem generalem infert conclusionem: Hæc tria criteria, ait, exactissimè conveniunt directioni intellectus humani; quia nulla nominari potest*

est disciplinæ, cui hic finis sit communis, nec ullum instrumentum Logicum quod sub hoc fine non contineatur.

3. *Et post hæc pergit.* Quid ergo dicendum est de cognitione veri? Resp. hujus finis assignatio manifestè peccat in primum Criterion, quia est angustior ipsâ arte, cujus finis esse perhibetur. Est quidem finis Logicæ cognitio veri, sed non tantùm, neq; n. excludi debent aut possunt perspicuitas & ordo, quæ & ipsa ad finem Logicæ pertinent. Quod si quis dicat sub veritate ista comprehendi, is non satis considerat, quod res diversæ, quarum altera sine altera sæpè est & esse potest, non possint sub se invicem comprehendi: aliud sanè est perspicuitas & ordo, quam veritas, cum multa verissima sint & dicantur, quę eadē non dicūtur perspicuè aut Methodicè. *Hactenus Keck. cujus sententiæ dicam scribit Clariss. Scheib. lib. de nat. Log. p. 166. eamq; solidè profligat.*

4. *Nos quæstione primâ directionem operationum intellectus non esse proprium Logicæ finem, sufficienter, uti spero, ostendimus: Nunc veritatem, sensu superius declarato, seu veri cognitionem, ultimum & externum Logicæ finem esse probamus. I. ex duobus istis prioribus boni finis κριτηρίοις, quæ tradit Keck. Primò n. cognitio veri adæquatur Logicæ ita, ut quicquid in eâ jure tractatur, ad istam collimet & referri debeat, adeoq; ipsa perspicuitas & ordo, si modo peculiaria Logicæ instrumenta sint. De ordine certè hoc negat CL. Philosophus Academicus Iac. Mart. lib. 5. instit log. p. 135. & quid nîdem de perspicuitate negem, cum hæc istius, videlicet ordinis virtus & proprietas sit, ipso etiam Keck. docente lib. 3. Syst. Log. p. 590. ut mirum sit perspicuitatem & ordinem tanquam duo distincta ab eodem adduci.*

5. *Verum autoritate, quæ tanta debetur viro, salvâ, ordinem quidem peculiare logicæ instrumentum non esse lubens concedo. Ex sententia n. Zabarellæ lib. 3. de Meth. c. 13. illud tantum instrumentum Logicum dici potest in quo est progressus à termino ad terminum, à notiori ad ignotius & quidem progressus Syllogisticus. Deinde Ordo instrumentum logicum dici nequit eo sensu, quo hodiè nomen & verbum item enunciationes vulgariter instru-*

 menta

menta Logica appellamus, quamvis hoc valdè improbet Zab. d. l. Illud quidem propterea, quia in ordine nullus est discursus: hoc, quia ordo non est principium seu materia syllogismi, ut termini simplices & enuntiationes, quæ propter syllogismum instrumenta logica non rarò dicuntur. Tandem quia mos apud plerosq; Logicos obtinet, ut etiam oppositio & conversio enunciationum nuncupent instrumenta Logica, eo sensu Ordinem instrumentum logicum dici posse non equidem morosius negaverim, sed est ista acceptio laxior, cum oppositio & conversio modi potius quidam sint enunciationibus utendi ad finem consequendum, ut Arnis. in notis Crell. p. 529. eleganter monet.

6. Statuimus ergo cum Cl. Iac. Mart. Ordinem peculiare Logicæ instrumentum non esse: Cæterum ordinem accidere demonstrationi adeoq; accidens esse Logicæ, veritatis inquirendæ ergò negamus & ad negativam nostram tuendam ita procedimus: Si finis Logicæ est, veritatem per certos ratiocinandi modos perfectè ordine & verè eruere ac probare, utiq; ordo non accidet demonstrationi seu Logicæ, sed erit per se considerationis Logicæ. Ratio connexi, quia posito isto fine Logici munus est non tantum præscribere præcepta veritatem eruendi, simpliciter, sed quoq; præcepta veritatem Ordine eruendi. Atqui prius est. Ergo etiam posterius. Assumptum probo. Cujus gratia Logica ultimò & principaliter est quæsita, inventa & perfecta, iste est proprius & verus Logicæ finis. Atq; quæsita inventa & perfecta est non ob veritatis cognitionem simpliciter, sed ob ejus cognitionem ordinatam, perfectam, hoc est, artificiosam. Ergo cognitio veri artificiosa est ultimus Logicæ finis. Assumptum iterum probo, quia ipsa Logica est artificialis, ideoq; finis Logicæ sit artificialis oportet.

7. Idem alio probat argumento Dn. Scheiblerus, quod ipsius verbis adscribam: Intellectus inquit, quatenus talis est, potest verum cognoscere, ideoq; logicâ opus non habet, ut verum cognoscat simpliciter, sed ut verum cognoscat artificiosius, melius & facilius. Impossibile a. est habere veri cognitionem artificiosam à quâ tamen absit perspicuitas & Ordo. Confusum n. & obscurum opponitur artificioso. Deinde idem docet Præcepter noster Slekerus in prælect. Log. Finis Logicæ, ait, cujus gratia quæsita inventa & perfecta est veritatem rationi humanæ in rebus cognoscibilibus abditam & involutam operatione mentis per certas ratiocinandi modos perfectè ordine & verè ervere ac probare. Hinc definitionē Logicæ ponit talē: Logica est habitus

Organicus

Organicus operationum mentis directivus ad veritatem rerum rectè ordineq́ cognoscendam, proponendam & tuendam.

8. Ex quibus elicimus Corollaria I. Ordinem per se venire sub contemplationem Logicæ. Idq́ ut intelligatur, cum Arnis. l. 4. dicimus, Logicum non tantùm debere præscribere ipsa instrumenta, sed & modos, quibus ea idonea fiant & disponantur ad finem attingendum, cum omnia instrumenta ad finem dirigat. Insuper: Ordinem, licet ille non sit instrumentum Logicum, esse tamen modum utendi Syllogismo ad finem obtinendum, hoc est, ad consequendam veritatem ordine & perspicuè. Ex quo patet, quid Respondendum Rodolpho Goclenio, qui part. 1. p. prob. 4. Syllogismum negat esse Logicæ finem adæquatum (internum) etiam ob hanc rationem quia τάξις sub eo non comprehendatur. Quasi v. Ordo ad syllogismum non referatur. Quæ vero de definitione & divisione addit Goclenius Ibid. de ijs commodior dicendi locus erit in sequentibus. II. Ordinem non tantum pertinere ad disciplinas docendas, tractandas & conscribendas sed & ad disciplinas inveniendas. Clarius: Ordo non tantum facit ad veritatem docendam & alijs proponendam, sed & ad veritatem inveniendam. III. Veritatem docere, disciplinas tradere & conscribere esse quidem non tam Logici officium, quam eorum, qui in artibus realibus sunt occupati, sed modum præscribere veritatem rectè & ordine proponendi, disciplinas constituendi solius logici esse officium. IV. Veritatem alios docere non esse finem Logicæ accidentalem. V. Ordinem in omnibus disciplinis, ubi veritas vel eruenda vel docenda, locum habere, quod non posset esse, si ordo tantum esset accidens demonstrationis, cum demonstratio in practicis nulla sit, ideoq́ nec ordo, cum accidens non sit, ubi non est id, cui accidit. VI. Ordinem & perspicuitatem sub veri cognitione optimè contineri. Idq́ quod contra Keck est notandum.

9. Quod v. ille excipit, veri cognitionem, ordinem & perspicuitatem esse diversa ita, ut alterum sine altero sit & esse possit adeoq́ non sub se mutuo comprehendi posse, Illud sane ipsi præ manu negamus. Ratio, quia sermo nobis hic est de cognitione veri non simpliciter spectata sed artificiosâ: Hanc v. ordinem & perspicuitatem includere an est qui negat? Nihil igitur hactenus proficit cum Præceptore suo Adamius Raßius, qui in vindicijs Syst. Log. Keck. th. 3. κρισ. part. hoc negat. Hucusq́ ergo sit confirmatum; primum à Keck. positum boni finis γνώρισμα Veri Cognitioni exactè competere.

De secundo non negat hoc ipse Philosophus Dantiscanus. Tertium, quod locat κριτήριον tanquam nothum & spurium reijcimus: Non n. de fine interno sed externo quæstio est. At hunc non esse in potestate artificis nec poni positis medijs infinitorum exlorum inductione probari potest; de quibus, qui volet, videat Arnis. in notis p. 33. Sed videtur Keckermannus regerere, in artibus conjecturalibus verum esse, quod finis non sit in arbitrio artificis, in non conjecturalibus a. (talem dicit Logicam) secus rem habere. Verum petit principium, quod est apud Rhetores maximum vitium tùm est flagitium fœdum in Philosophia, Scal. Exer. 61. s. 1. p. 224.

10. Secundum argumentum pro theseos nostræ confirmatione ex ijs, quæ mox de ordine disputabamus, peti potest. Tertium mutuabimur ex ipso Keck. lib. 1. Syst. log. p. 165. Vltimus (finis) inquit, est, ad quem omnes reliqui ordinantur; cujus septem sunt Canones. 1. Finis qui ultimus est executione, primus est intentione. 2. est summè bonus, movens seu appetibilis 3. In eo terminatur & appetitus & operatio efficientis. 4. dat omnibus medijs amabilitatem ordinẽ ac mensurã 5. solus perficit tàm agentem quam actionẽ. 6. Eo posito ponuntur omnia media. Ad hos sex (septimum n. nî commodè explicetur, reijcio) Canones & definitionem finis ultimi Keckermanni quicunq; examinaverit illum, quem nos ultimum diximus finem, deprehendet facilimè esse verum genuinum & proprium. id quod Keck. ibat negatum.

Quaestio Quinta.

An distributio Logicæ sit ἀκριβὴς in partem communem & propriam.

THESIS I.

Negantem ζητήματος partem tuetur Keck. p. 3. 243. 247. Eandem repetit tractat 3. præc. Log. p. 47. & 48. Ibidemq; probare studet Divisionem istam in quatuor bonæ partitionis criteria peccare. I. Criterron: Partes non debent se dividere per seipsas, sed per aliud noëma disjungens tertium, quod velut mẽsura sit totius. II. Quæ divisio rectè tribuitur parti totius, ea malè accommodatur toti. III. Omnis bona partitio debet

debet esse adæquata toti diviso IV. Divisio non debet confundere totum sed distinguere.

2. *In hæc quatuor criteria partitionem illam, quâ logica à tot annorum seculis in communem & propriam est dirempta, impingere censet, & quidem in I. quia in ea tertium illud mensurans non habeatur, Illud n. est objectum vel finis. At v. ista divisio nec ex subjecto nec ex fine sit sumpta. Resp. Eam esse à fine sumptam, & ob id mensurante tertio non destitutam, nec per se ipsam constitutam. Quod post apertius patebit. In II. quia Divisio ista sit propria syllogismi, qui pars Logicæ. Resp. errorem esse in tanto Philos. ut Keck. nequaquam ferendum, quod Syllogismus sit Logicæ pars. Crassum sane Philosophema. Annon n. in uno & solo Syllogismo tota ratiocinandi facultas terminatur? plenè absolvitur? Annon initium, medium & finis in Logicis est Syllogißimus? Ais, multa tamen tradi in Logicis quæ Syllogismus non sunt, e. g. liber περὶ ἑρμηνείας nihil de Syllogismo habet & juxta plerorumq; logicorum distributionem duo integri libri, unus de nomine & verbo, alter de enunciationibus, consumuntur, antequam ad syllogismi doctrinam fiat accessus. Resp. si quid in logicis docetur, quod non sit syllogismus ipse, vel materia sive modus ejus, illud totum ex agro Logico esse eliminandum. Iam v. omnia ista, de quibus objectio, taliter sunt comparata, ut scilicet materia etc. sint. Quem v. later, de materiâ syllogismi agere, esse de ipso syllogismo agere? Agere n. de principijs rei est de illa re agere cujus sunt principia, docet Zab. lib 2. de Methodis c. 16. p. 215.*

3. *In III. quia subeũ non concludantur omnia, quæ in totâ Logica traduntur, quæso n. inquit, eos, quo mihi referent doctrinam definitionis, divisionis? imprimis quæro de ordine, quonam pertineat, an ad communem? non dicent, quia syllogismum materialem non præcedit, an ad propriam? hoc dicere non possunt, quia ipsi postea propriam subdividunt in Anal. Top. Soph. At nusquam hic de ordine agi potest. Debent ergo Zabarella, Crellius & alij id huic suæ tam amatæ partitioni, quod de ordine doceant extra ordinem, neq; sciant sub quod Logicæ membrum ordo portineat, sed fortè de ordine agunt appendicis loco extra reliquas logicæ partes. Resp. Definitionem & divisionem quod attinet de eâ suprà nostra sententia explicabitur ita, ut huic argumento simul fuerit satisfactum. De ordine vero Resp. Ejus tractationem nec in Analyticis nec in Topicis tantum jure suscipi. Non in*

Analyticis, quia ordo ita est prorsus scientijs, ut practicis disciplinis minimè sit denegandus: & vice versâ: ob quam rationem in topicis vernacula ejus sedes quoq; non erit. Et hæc ipse largitur Keck. Cum v. ordinis consideratio planè Logicæ intrinseca sit, ut ex præcedenti constat problemate, ea ad partem formalē quadantenus reijcienda erit, idq; jure I. quia ordo est modus syllogismū rectè accommodādi ad obtinendam finem. Illud v. commune est syllogismo analytico & topico. E. pertinebit ad syllogismum formaliter spectatum. II. quia ordo ut ab omni materiâ determinatâ sejunctus considerari potest, imo ita consideratur à Zab. lib. 1. de Methodis c. 2. lib. 1. Apol. c. 2. Verum Keck. putat nos non dicturos, petinere ad partem formalem quia syllogismum materialem non præcedat. Quî v. sic? quo argumento istud probatur? est hoc αἰτεῖσθαι ἐν ἀρχῇ. Nobis contrarium est demonstratum. Quadantenus tamen etiam de ordine in analyticis & topicis agendum est, quatenus alia ejus ratio est in scientijs, alia in practicis

4. In IV. tandem criterion istam divisionē peccare probat: quia, inquit, confūdit Logicā, non distinguit, idq; manifestißime probat Crellius in suâ ϛagoge; ibi n. cum partem Logicæ definiat communē, quæ de instrumētis Logicis in communi tractat, ad nullā certā materiam determinatis, ipse tamen libro secundo partis communis c. 3. tractat de enunciationibus ad certā materiā accōmodatis etc. Resp. Egregia hercles probatio. Quæ ratio istæc nova ex uno singulari concludere vniversale? Crellius ita enunciationē tractat. E. ceteri omnes? quidsi dicamus Crelliū nullo hoc feciße jure, ut Arnisæus in notis p. 220. ὁ φθαλμοφανῶς ostendit. Per argumenta igitur Keck. immota stat vetus illa divisio Peripateticorū eamq; simpliciter (nec tantū respectu Organi Arist. qui error Regij est lib. 1. disp. log. prob. 5. p. 16.) esse probam ostendo.

5. I. Quod sunt modi attingēdi veritatē, tot Log. sunt partes. At duo tātū modi sunt. E. duæ Log. partes Majorē probo: quia Logica est disciplina practica. At v. disciplinarū practicarū ea est natura, ut dispescātur ex fine & non subjecto Zab. l. 1. de nat. Log. c 15. & Schegkius l. 12. demonst. p. 377. scribit. πρακτικαὶ δὲ ποιητικαὶ ἐπιστῆμαι συσσωσιν non habēt aliā, quā à fine. Finis a. Log. veritas est. Deinde in practicis disciplinis media tradi debent, quibus perveniatur ad finē, & quemadmodū media sese ad finē habeāt, quemadmodū item aliter atq; (aliter) pro consequendo fine dispōni & adhiberi debeant, anxiè expendendum. In logicis medium Illud est syllogismus, quo quia duobus modis finem Logicæ, hoc est, veritatem attingere possumus, rectè secundum duos illos modos veritatem consequendi in duas Logica secatur partes. Duobus a. modis

dis nos Syllogismo, prout videlicet communiter seu formaliter, & propriè seu materialiter spectatur, veritatem attingere posse, & quidem eorum primo non semper certò & commodè, ideoq; alterò penitus opus esse, sufficienterprobatum lege apud Arnis. in not. p. 35. Ex quib. consequitur, divisionem hanc non esse factam per differentias oppositas, cum totum, quale Logica est, illas non admittat, sed per modos oppositos considerandi nim. unum eundemq; Syllogismum.

6 II. Argumentum. Sicut se habet subjectum in scientijs, ita finis in practicis. At si subjectum habet communia quædam sive principia sive attributa, illa communiter considerãtur, & hinc scientiæ pars communis nascitur. In quâ parte v. subjecti species cum peculiaribus affectionibus tractantur, illa propria dicitur. Ergo si Syllogismus communia quædam habet, quæ apodicticus simul & Topicus participat, & vicissim, si apodicticus proprias conditiones, proprias item Dialecticus habet, utiq; ex Syllogismi secundũ communia ista consideratione prodibit pars Logicæ communis, ex consideratione v. secundum conditiones proprias pars propria. At Syllogismus communia habet plurima, quod non nisi excors negat. E.

7 III. Argumentum. Illa divisio accuratissima censenda est, quæ ad novem illas bonæ divisionis regulas exactissimè quadrat, quas ipse Keck. tract. 3. præcog. log. p. 47. ponit. At nostra exactissimè ad eam quadrat. E. Minoris veritatem absq; negotio experietur lector, si divisionem hanc ad istas leges, paulo accuratius exegerit examinaritq;. Ast quid habendum de partitione Keckermanni? Iste n. p. 3. Logicam partitur juxta tres mentis actus & tres ejus partes statuit: Præcepta ejus, inquit, dividũtur in tres partes; ex quibus prima directrix cõceptus seu cogitationis simplicis; altera cõceptus complexi; tertia Discursus. Eãdem divisionem paulò aliis verbis repetit tract. 3 præcog. log. p. 53. Invenies eam quoq; apud Dn. D. Colonienses statim sub initium logicæ, dub. 1. Lovanenses in proœmio in Categ. Arist. p. 77. Duplici a. ratione illam inprimis confirmare annititur. I. Quia facta sit objecto simul ac fine mediante. II. Quia bonæ divisionis γνωρίσμαλα ante à se posita non vidit.

8 Cæterum si divisio hæc pro principali venditetur, & prout à Keckermanno proponitur, malam eam esse simpliciter asserimus. I. ob argumenta, quæ pro peripateticorum divisione, cujus Averroes primus autor in proœmio in Post. Analyt. mox attulimus, II. quia in tres Leges bonæ divisionis à Keck. l. a, positas gravissimè delinquit. Prima lex, in quam peccat, est:

Quæ

Quæ divisio rectè tribuitur parti totius, ea malè accommodatur toti: Non n. pars Logicæ communis tantũ rectè subdividitur secundum tres operationes mentis, sed etiam pars propria sic, ut quemadmodum hujus vicißim alia pars analytica, alia topica est, ita quoq; seorsim in parte utraq; ista juxta mentis humanæ actus locum habeat. Ergo ista divisio utriq; parti communis est, & unicuiq; seorsim accommoda. Ergo ex ore Keckeri vitiosa. Secunda Lex est: Divisio non debet confundere totum sed distinguere. Tertia: Sit ad totum notificandum accommodata. In utramq; impingit divisio hæc ex Keckermanniano quidem proposito usurpata. Primò enim confundit præcepta Logicæ, ut in sequenti quæstione exemplo ipsius Keckerm. Logicæ probatum dabimus. Deinde ad docendum & discendum non est apta, quia modò hùc modò illùc vagari cogit, cogit opus inchoare, inchoatum mox deserere, ut iterum exemplo logicæ Keck. patet; quid verò magis tàm docenti quàm discenti incommodare & obesse potest, quàm modò hùc, modò illùc vagari, modo hoc opus incipere, modò inceptum deserere, & ad novum se accingere, & sic vicißim?

9 Ad rationes Keck. Resp. ad 1. falsum esse, hanc divisionem à fine simul esse petitam, id quod ipse Kecker. in Systemate agnoscere videtur, ubi eam ab objecto desumptam, adeoq; omnium artium partitionem ab objecto & nõ aliunde ducendam esse docet. Distinguat a. Keck. inter disciplinas Theoritas & operatrices; Illarum divisio non nisi ab Objecto, harum non nisi à fine petenda est. Et cum logica sit disciplina operatrix, ejus divisionem pariter à fine, & non ab objecto ducendam esse per se planum est. Alteram rationem quoq; falsam esse ex dictis est manifestum.

10. Interim non simpliciter istam divisionem improbamus, quin potius nostræ eam jungendam esse, cum Slekero in prælect. Log. statuimus, cujus verba in gratiam juventutis, cum publicè non extent, hìc adscribere laboris & operæ precium duco: Cum quâ, inquit, (scil. cum nostra divisione) & optimè consentit, & omninò jungenda est divisio secundum tres operationes mentis nostræ. Nempe si rectè instituatur & priori illi subordinetur: quibus n. fundamentis prior illa nitatur, jam dictum est. Et tamen cum directio operationum intellectus logico proposita sit: operationes a. sint tres, eaq; tum gradibus naturæ suæ & operationum modis distinctæ: tùm v. distinctim etiam ad rectitudinem suam revocandæ & in actibus satis dirigendæ manifesta ratio est, cur non tantum distinctè de illis agi debeat; sed quod etiam

& Logica ipsa secundum eas non incommodè dividi queat. Idq; sensit Alexander Aphrodisiensis in præfat. I. Analyt. in sensu Thomas in præfat. poster. ubi causam afferens, cur logica dicatur scientia rationis, quia, inquit, ... satur circa actus rationis sicut circa propriam suam materiam: hinc & oportet logicæ partes sumere secundum diversitatem actuum rationis, etc. At tamen priori illi hanc subordinari volo, ut nempe pars communis secundum tres mentis operationes dividatur communiter seu formaliter: & item propria secundum modum materiæ. Ita nim. & Logicæ Organon ab Arist. constructum est; cum initio περὶ ἑρμηνείας de nomine & verbo agatur, quæ primæ operationi respondent: mox de enunciationibus, quibus secunda operatio cõtinetur: & demum de syllogismo, cui cõpetit Tertia. In demõstratione item distinctè agitur de tribus præcognitis. mox de enũciatis & tùm de ipsâ demonstratione. Neq; obstat, si fortè hæc distinctio non expresse ubiq; occurrat, sit n. hoc propter evidentiam rei, quâ mens discentis antevertit tractationem illam, nec eam requirit, utpote quæ obscuris & latentibus tantum destinata sit. Iungendam ergò esse priori vel ex eo patet, quod Keckermannus secundam & tertiam operationem rectè pertractare non potuerit, nisi syllogismi considerationem faceret aliam formalem: aliam materialem. Posteriorem v. priori esse subordinandam & non econtrâ patet, quod prior illa generalior sit & ex modis oppositis exstructa, & Organi naturam exactius & evidentius præ se ferat ipsiq; corpori logico convenientior sit, & nunc magis in usu logicæq; Arist. accommodata.

Quaestio Sexta.

Quâ Logica Methodo sit tradenda, & quid de universæ Logicæ Keckermanni methodo sit judicandum?

THESIS I.

Logica quâ sit tractanda methodo; quæstionis est. Verum quæstionem hanc non rectè posse determinari, priusquam constet, sitne disciplina speculativa Logica vel practica, ex eo liquet, quod omnis methodus sit vel comtemplatricium vel operatricium disciplinarum. Et certè gravissimi autores plurimi Logicam speculativam esse tutati sunt, inter quos Scotus, Albertus Magnus & alij cum quibus facit Lavellus lib. 6.

Met. quæst. 7. p. 274. Alij quoq; non minus nobiles eam practicam esse statuerunt ut Ariminiensis, Occam. Biel etc. ut apud Ioh. Regium. lib 1. disp. Log, [illegible] 6. videre est. Idem probat Fonseca lib. 2. Met. c. 3. quæst. 2. s. 1. & 4. Petrus Tartaretus in proæmio Log.

2. Sed his ex adverso se oponit Ioh. Regius l. a. & logicam neq; speculativam neq; practicam esse disciplinam defendit. Quod si verum, eadem operâ methodo logica privabitur, cum ea duplex disciplinarum genus non excedat, ut ex utriusq; methodi speciei definitione est conspicuum. Cæterum, ut constet quid in hac sententiarum varietate sentiendum, dico I. Logicam speculativam scientiam non esse & in hanc rem probo argumenta Regij. II. Logicam practicam non esse in strictißimâ & proprijßima ly praxeos significatione. III. Logicam practicam esse in vocis acceptione paulo laxiori: Est namq; logica arti simillima secundum Peripateticos: vnde methodo arti conveniente meritô disponenda. At Ars disponitur methodo Analytica. E. eâdem & Logica est disponenda.

3. Obijcis: Vbi à primis principijs ad ea, quæ ex principijs constant fit processus, ibi est Methodus synthetica. At in logicâ à primis syllogismi principijs ad ipsum syllogismũ fit processus E. 2. In Methodo analyticâ fit processus à notione finis ad media. At in logica non fit processus à notione finis ad media E. Resp. 1. Ad post. in logicis à terminis simplicibus exordiũ fieri tanquam à Syllogismi materia. Quis vero eũ qui de materiâ Syllogismi agit, de ipso Syllogismo agere, ibit inficias? Agitur ergô quoq; de Syllogismo in libro περιερμηνείας sed per partes, ut docet Arnis. in notis ad Crellium pag. 183. De partibus verò agere respectu totius, est de toto ipso agere Zab. lib. 2. de nat. Log. cap. 3. pag. 57. Fit igitur initium in logicis à fine. 2. In priori major limitanda est sic: Vbi à primis principis ad ea, quæ ex principijs constant, fit progreßus videlicet (1.) scientificè (2.) & contemplationis ergò, ibi est ordo syntheticus, ubi vero à principijs fit proceßus ad ea, ex quibus constãt, non per se sed propter finem, ibi est ordo analyticus. Iam videlicet posteriori modo proceditur in Logicis. E.

4. Et quamvis nominis & verbi, item enunciationis absoluta in Logicis tractatio quoq; instituatur, per id tamen ratio ordinis analytici non evertitur. Statim n. agitur de medijs, & in mediorum tractatione præmittuntur illa, quæ facilius expediri & sine aliorum adminiculo tractari

possunt

possūt Slek.in prælect.log.Vide Zab.lib.2.de nat log.pag. 35. Constat igitur logicam methodo analytica esse tradendā, quod ipsum Keck. fatetur tract. 1. præcog.log.p.3.Sed his non benè quadrat,quod in Syst.log.p.7.rationē ordinis, cur à directrice conceptus simplicis ordiatur,redditurus scribit:quia cogitationis seu intellectionis humanæ ea sit natura,ut à simplicibus ad cōposita procedatur. Sed quæ est ratio consequentiæ: Quo ordine intellectus in rebus apprehendendis progreditur,eodem etiam sunt tradēdæ? Dico fallere rationē παρὰ τὸ ἐπόμενον. Neq; n. sequitur sicut practicus operatur,ita in disciplinis practicis progrediendum est, aliàs n. Ethicus primo loco de affectibus eorumq; moderamine, ultimo v. de summo bono demum agere deberet,quod est absurdum ,quicquid etiam contradicat,faciat Piccololomineus in introd. phil. mor. Iam v. logica, ut dictum, est practica. Ergo ex hoc vera Methodi ratio desumenda erat, & non ex ordine apprehendendi, quem servat intellectus, neq; ex ordine naturæ.

5. His Iam expeditis edisserendum nobis est,quid de totius Keckermanniānæ Logicæ methodo censeamus. Breviter:Methodus logicæ Keckermanni summâ laborat ἀμεθοδίᾳ:ut omni jure cum Scaligero Exer.2.p.7.dicamus: Illud,quo nihil vel in animo vel in opere Sapientis admirabilius est, parum fuisse curæ videtur tanto viro. Probo: quia quæ distinguenda sunt, miserabiliter confundit. I.n. res ipsas in logicam introducit,cujus tota tamen essentia in consideratione notionum secundarum absolvitur, & dum hoc facit omnem succum ac sanguinem Methaphysicæ exhaurit. Terminos v.rei,quos magno numero huc cogit Keck. Metaphysicæ esse contemplationis & non Logicæ, probatum do, (1.) quia termini isti sunt generalißimi res ipsas immediatè repræsentantes & cum ente recurrunt, ideoq; ejusdem cum Ente scientiæ. (2.) Quod non pertinet ad directionem Intellectus illud logicum nō est,logicæ contemplationis non est. Termini isti rei , quos vocat, non pertinent ad directionem intellectus. Ergo. Probo minorem: Quocunq; intellectus dirigitur suum ipsius opus est,Ens rationis est,notio secunda est. Arnis.in notis p.2. Ac si notionibus primis dirigeretur intellectus,quid opus esset Logica? At termini rei nō sunt opus intellectus,nō sunt entia rationis,neq; notiones secūdæ. Ergo.

6. Deinde partem communem cum propria,hoc est, formalem notionum logicarum considerationem cum materiali permiscet, varia , inutili ac odiosa interruptione. Id quod exemplo lib. 2. Syst. log. diserte & perspicuè ostendo. In eo enim primò agit de nomine & verbo , quod quo fine &

jure fierem percuperem scire, cum de directione primæ mentis actum sit in lib. primo. Deinde ad propositiones progreditur, easq; considerat primò materialiter c. 2. secundò formaliter c. 3. Tertiò sect. 2. c. 1. Iterum agere incipit de propositione ad certam materiam determinata. Sed quid sibi vult vicissitudinaria hæc interruptio, quid amputatio, quid truncatio terminorum logicorum? Quæso te, exponas nobis, annon præstet & discentibus conducat, formalem terminorum logicorum considerationem integram absolvere, antequam ad materialem pergas. Ita argumentor: Quæ distincta sunt, quæ separata sunt, ea distinctim separatim tradi debent. Sed duplex ista consideratio νοημάτων logicorum est distincta, est separata. E. Turpiter igitur Keck. confundit ea, quæ sunt distinctissima: Nihil n. fœdius Philosopho quam materias confundere. Scal. Exer. 76. s. 2. peccatq; in suos ipsius Canones de methodo positos lib. 3. Syst. log. p. 584. & seq.

7. Tertiò & ultimò illud vehementer in systemate Keck. improbo, quod perpetuis & infinitis divisionum anfractibus rem totam peragat & sic non exiguam caliginem discentium ingenijs offundat; q. v. divisionum usus in scientijs sit Principalis. Excellentissimus Arnisæus in Notis de Ramæorum scientijs scribit hunc in modum: Ramistæ sanè, inquit, mirum est quam sibi in suis dichotomijs placeant, in quibus palmarium & fundamentum scientiarũ situm putant. Nihil n. in ipsorum, si Dijs placet, scientijs reperitur, præter claudam definitionem & coactam quandam dichotomiam: adeoq; frequentes sunt apud eos divisiones, ut nec olus ipsos emere, aut cibum capere posse sine divisione crediderim.

8. Sed hæc pari vel potiori jure de disciplinis Keckermanni usurpare posse mihi videor, & præsertim de Logica ejus. Colophonis Loco Clariss. Casp. Finckij judicium de Logicâ Keck. quæstioni huic apponere placet. Is ergò part. 2. Sched. s. 27. p. 201. ita censet: Non res loquitur sed clamat, Keckermannum sua omnia ex Aristot. Zabarella, Monlorio; aliisq; compilasse, aut, ut mitius dicam, congessisse. Quid hîc dicet aliud (Keck.) quàm verum hoc esse de materialibus, quæ ipse postea in logices legitimum Systema reduxerit, ac proinde systematis hujus autor extiterit: sic igitur jam idem dicit (Keck.) quod nos ante de Ramo, quanquam vel pueris notum sit Keckermannum etiam quoad formam & Methodum sui systematis non Keckermannizare sed Ramizare. De Rami v. Methodo in logicis ego statuo, teruncio quidem esse redimendam. Patet ergo methodum Keckermanni

Logicæ

Logicæ non esse exquisitam nedum exquisitissimam, ut ex nimio in præceptorem affectu jactitat Rassius In vindiciis th. 4. negatur part.

Quaestio Septima.

An error contingat in primâ mentis operatione?

THESIS I.

Affirmat *Keck. p. 2.* Anima quidem ipsa, inquit, & essentia hominis postlapsum mansit, sed interim facultatem amisit non intelligendi & cogitandi absolutè sed rectè & ordinatè de rebus præsertim gravioribus cogitandi, atq; adeô tres magnos velut morbos & defectus contraxit, quibus laborat circa rerum atq; adeô & ejus quod in rebus est veri apprehensionē, quorum primus est aberratio à re apprehendendâ, alter est obscuritas, cum sæpè res quidem comprehendit, sed interim naturas earū interiores harumq; notas seu verba q. per nebulam conspicit: tertius est confusio etc. *clarius p. 7.* Cæterum, inquit, duplex est hujus primę partis scopus: prior quidem absolutus, qui servit dirigendæ intellectioni seu apprehensioni simplicium terminorū, quæ est omnis nostræ cognitionis principium, ut traditur 1. post c. 3. ideoq; maximè omnium præceptis & normis logicis eget, præsertim cum gemino periculo sit obnoxia: primo quidem falsitatis simplicis illius, quâ terminus simplex pro simplici, E. g. subjectum pro effectu etc. apprehenditur: post etiam periculo confusionis, cum inter terminos apprehendendos ordo debitus non servatur. Utriq; defectui & periculo occurrit prima hæc pars, & hic est ejus scopus absolutus.

2. *Sed mirum potuisse hunc errorem, qui ex Methaphisicæ neglectu & ignorantia profluxit, in Keck. virum aliâs in singulis Philosophiæ partibus*

tibus exercitatum cadere, præsertim cum ex professo ad 4. & 9. lib. Met. Aristotelis interpretes de hac quæstione dissertent, & negativam ejus propugnent. Argumenta a. Keck. opinioni opponimus quatuor. I. si falsitas, error seu deceptio accidit circa conceptum simplicem, ea veritati transcendentali debet opponi & non ignorantia. At posterius saniores Metaphisici negant ad unum omnes. Ergo & prius. Majoris connexio est, quia causa afferri potest aliàs nulla, cur veritati isti opponatur ignorantia.

3. II. Conceptus simplices æquiparantur rebus in veritate, Suarez. Disp. 9. Met. s. 1. §. 14. Finitiones & notiones rerum simplicissimæ & perfectissimæ ita comparatæ sunt, ut non partim intelligantur partim ignorentur, sed omninò vel intelligantur vel ignorentur. Schegk. lib. 4. demonst. p. 124. Quicquid concipimus totũ & verè concipimus; Arnis. Epit. Met. p. 165. Vnde argumentum: Si ea est ratio primæ intellectus operationis ut quicquid secundum eam intellectus apprehendit, id vel verè & integrè apprehendat, vel plane non, falsum est, primam operationem esse gemino errori obnoxiam. At prius est. E. III. est Suarezij l. a. Vbi non est difformitas ibi nec falsitas seu error locum habet. Sed in conceptu simplici non est difformitas. E. Minor probatur Vbi habitudo cognitionis ad objectum est simplex, ibi ea cognitio non potest esse di formis rei tanquam objecto repræsentato; aut n. talis res repræsentatur per talem actum cognitionis, vel non: si non repræsentatur, non est objectum, & ita respectu illius non erit falsus actus. si v. repræsentatur per illum erit conformitas inter illa, quia necesse est repræsentans & repræsentatum habere inter se convenientiam: Ergo nec respectu illius objecti erit falsus talis actus: Ergo respectu nullius objecti potest hujusmodi actus habere falsitatem.

4. IV. Vbi non est judicium, ibi non potest esse error. δῆλον. At in prima mentis operatione non est judicium. Ergo in ea nec est error. Minor probatur, quia IVDICARE nihil est aliud quam affirmare & negare. quod eruditè persequitur Fonseca ad lib. 6. Met: Arist. quæst. 3. integrâ. Quintum argumentum pro nostra sententia, qui volet, petat ex Lavello lib. 9. Met. quæst. 21. Vbi simul per accidens deceptionem in prima operatione contingere statuit. Sed nec illud juvat Keck. cum quæ per accidens fiũt rarò fiant Arist. 2. Phys. t. 55. & disciplinam vix pariant, cum facili observatione cæveri queant. Imò negare possumus, per accidens simplicium apprehensionem decipi, cum in ijs duobus modis, quibus hoc fieri dicit Lavellus non

cernatur

cernatur aliqua affirmatio, ut & diligentior docet αὐτοψία, & Fonseca ad lib. 9. Met. Arist. c. vlt. Concludimus ergô cum Iavello deceptionem propriè esse circa composita; Ignorantiam v. circa simplicia. Idem docet Arist. 3. de anima cap. 6. ἡ μεν οὖν τῶν ἀδιαιρέτων νόησις ἐν τούτοις, περὶ ἃ οὐκ ἔστι τὸ ψεῦδος. lib. περὶ ἑρμ. c. 1. lib. 9 Met. c. ult. Errat igitur Keckermannus cum errorem in primo mentis actu statuit, gravius errat idem: cum hunc maximè omnium præceptis & normis egere scribit. Vbi n. nullus error ibi minimè præceptis dirigentibus opus.

5. *Quod v. Keck. fieri dicit ut subjectum pro genere, causam pro effectu apprehendamus, imò ut confusè hoc faciamus, Illud ambabus ipsi largimur manibus: verum vel puero notum esse potest contingere hoc vel circa secundam vel tertiam mentis operationem. Linquemus ergò hanc quæstionem. Sed heus, nova objectio! Si apprehensio simplicium omnis expers est erroris frustrà ab Arist. traduntur termini logici simplices scilicet nomen & verbũ illi respondentes. Sed hoc dicere est absurdum. E. & prius. Resp. in antecedente committi σόφισμα consequentis. Quod n. non multa sed valde pauca pro prima operatione traduntur instrumenta, fit ideo, quia errare non potest. Arnis. in notis p. 45. Quod v. illa ipsa pauca traduntur, non fit quia errare potest sed ut per ea idonei fiant simplices termini ad materiam enunciatorum. Arnis. in notis pag. 184. Cum n. multa nomina grammatica non rarô concurrant ad unum nomen logicum, adeoq; unum conceptũ simplicem constituendum, hoc si non distinctè doceretur, termini simplices ad materiam enunciationum non rectè aptarentur. Nec absurdum est dicere, De nomine & verbo agi in logicis, non ut per ea apprehensio simplicium vindicetur ab errore, sed ut syllogismi tractatio inchoetur à simplicissima & remotissima suâ materiâ. Quin nec absonum est asserere, primam mentis operationem dirigi per nomen & verbum, non ut ab errore servetur immunis, sed ut expeditior fiat in operando, nam & in eo aliqualis habituum ratio posita est.*

QUAESTIO OCTAVA.

An ex terminis simplicibus, ut sunt prædicamenta nim. substantia, quantitas, qualitas etc. causa efficiens, materia, forma, finis, causatum, subjectum, Accidens, totum, pars, definitio, divisio, identitas, diversitas, oppositio; conficiatur syllogismus?

THESIS I.

Ita

Ita statuit Keck. p. 7. Alter, ait, scopus est (partis primæ) cum nimirum in primâ hac parte parantur elementa & materia pro enunciatione syllogismo & methodo, de quibus duæ reliquæ partes tractabunt, quæq; non tantum ex illis vulgo dictis prædicabilibus & prædicamentis sed ex longe pluribus imô ōnibus in universum terminis simplicibus componuntur, qui omnes idcirco nobis plenè hic persequendi fuerint nec omitenda ea quæ in aliorum logicis apparet hujus partis imperfectio & mutilatio. Idem docet tract. 3. præcog. log. p. 54. & 55.

2. Contra: Si termini illi pertinent ad Syllogismum, erit hoc vel materiæ vel formæ ratione. Non formæ, quippe quæ in congrua trium terminorum dispositione consistit, quod ipse Keck. non it negatum: nec materiæ respectu, quod quidem contendit Keck. sed falsò. Ea enim vel remota vel propinqua: Remota sunt termini simplices ceu nomen & verbum, propinqua sunt propositiones, universo suffragante Peripato. Ergo nulla ratione ad Syllogismum pertinent. Inquis, posse istos terminos nominis & verbi habitum subire: Quid tùm? Si propterea ad Syllogismum pertinent materiæ ratione quid ni omnium disciplinarum terminos omnes in circum vocas Logicum? Nam & in istis nomen & verbum verificari potest. Sciendum ergô de Syllogismo formaliter, hoc est, ab omni materia secreto & abjuncto esse quæstionem. Et licet ponamus etiam de Syllogismo materialiter spectato esse sermonem, nec sic tamen isti termini Logicæ sunt considerationis, cum ipsa materia non spectetur in materiali Logicæ parte, sed tantum ejus conditiones, videlicet necessitatis vel probabilitatis respectu.

3. Pergimus ergo II. Materiale Syllogismi est vel simplex vel complexū: Simplex sunt termini, in quos Syllogismus ultimô resolvitur: Complexum sunt propositiones, Keck. lib. 3. Syst. Log. p. 401. & 402. Hinc argumentor: Ex illis terminis Syllogismus conflatur & constituitur, in quos resolvitur. Probum. At conflatur secundum Keck. ex terminis ante recensitis. E. in eosdem resolvitur. Conclusio est absurdissima. Probo. Nihil quod est in censu operum rationis seu νοημάτων δευτέρων potest resolvi in notiones primas seu terminos rei, ut appellat Keck. σαφεῖς. Ex ijsdem n. principiis

res

res constat, in quæ resolvitur, & quod in re constituta non est, in id non quit resolvi. At totus Syllogismus est secunda intentio. E. in notiones primas nequit resolvi. E. nec ex ijs confectus est. Ergo Keck. errat cum statuit, ex causa, effectu &c. confici Syllogismum, quippe quæ verè sunt notiones primæ.

4. Syllogismum vero esse notionem secundam Keck. ipse fatetur Syst. Log. p. 34. & quis negabit cum tota Logica sit occupata in contemplatione notionum secundarum, Syllogismum esse notionem secundam? Vix enim quicquam magis intrinsecum magisq; σπουδες Logicæ esse videtur, quam Syllogismus. Impossibile ergo est istos terminos esse Syllogismi materiam, quos ingenti copiâ ex Metaphysicis Logicæ non sine fæda disciplinarum realiter (renitente licet cum Ramæis Ioh. Hesselbeinio in Theoriâ logic. c. 5. q. 2.) diversarum conmixtione, adeoq; sui ipsius canonis; partes Methodi sint omnes homogeneæ lib. 3. Syst. log. p. 587. crassa violatione, infarcit, nî Chymæram ex syllogismo facere tibi sit volupe.

5. Terminos v. istos esse reales adeoq; voces primæ intentionis ex definitione primarum notionum est manifestum, quam elegantissimè concinnatam reperias apud Dn. D. Colonienses in prædic. Arist. p. 39. & quia rem perspicuè explicat huc afferre non abs re erit: Per intentionem, inquiunt, nihil accipere debemus, quam attentionem seu considerationem rei cujuspiam Hæc in primam & secundam distribuitur, cujus quidem divisionis ratio sumitur ex eo, quod in rem, quæ intelligitur dupliciter aliqua competunt. Nam quædam ipsi rei secundum se, etiamsi nunquam ab ipso intellectu comprehenderentur, conveniunt, ut homini esse album, Alia v. eidem, non nisi quatenus per intellectum concipitur, possunt attribui, quomodo homini convenit esse speciem, esse prædicatum vel subjectum in præpositione. Talia n. nõ in homine, quatenus in rerum natura existit reperiuntur, sed solum in quantum in intellectu est. Prima ergo intentio dicitur intellectus ea attentio quâ rem in rerum natura existentem contemplatur, aut qua in rebus sibi oblatis inspicit ea, quæ secundùm naturam illi competunt, ut hominis, albedinis, & similium rerum notitia. Item illa, qua quis hominem animal vel album apprehendit. Secunda v. ea, quâ in rebus sibi oblatis intuetur ea, quæ illis conveniunt per intellectus operationem: ut intellectu cognoscente hominem esse album si ipse album de hominem prædicari attendat, hæc secunda attentio dicitur.

Hactenus Colon. Vnde argumentum. Omnes isti termini à Keck. in Logicam transportati rebus conveniunt non per intellectus operationem sed secundum suam naturam. Ergo sunt termini intentionis primæ. Ergo terminorum istorum, qui libro primo continentur, paucis exceptis, evolutio ad Metaphysicam remittenda, quo disciplinarum fines sarti & tecti serventur. Obycis, At Arist. de his terminis cæteriq; Logici partim in analyticis partim Topicis agunt. Resp. non tam de istis terminis in locis adductis agi, quam de modo rectè & legitimè ex ijs argumentandi, seu medium petendi, quo sensu demum lib. 3. Keck. de ijsdem tractat. Constat igitur ex his, nullo penitus jure cæteros Logicos à Keck. sive imperfectionis sive mutilationis argui ob terminos istos reales omissos, quæ accusatio vel propterea vana imò frivola putari debet, quod in summum philosophum Arist Reip. literariæ aquilam redundet aperte, nam & ejus organon imperfectum erit, cum inibi istorum terminorum ejusmodi explicatio nequaquam reperiatur. At v. Adamus Raßius Polonus in vindicijs Syst. log. Keck. contra M. Donnerum them. 4. κεφαλαιω partic. duo ad hæc regerit. Vnum; terminum quâ talis, est, non esse ditionis Metaphysicæ, hæc n. inquit, Ens scrutatur non entium externa signa ex institutione humana, voces: sive quia hæc res ipsas tradit non argumenta rerum, quæ argumenta nihil aliud sunt, quam logici termini rebus ipsis applicandi. Alterum: Keckermannum non sub reali considerationis modo de his terminis tanquam Entis affectionibus in Logicâ docuisse. Docuit Kecker. inquit, de causâ causato etc. non ut de affectionibus sed ut de terminis affectiones Entis declarantibus. Resp. ad 1. concedendo terminum quâ talis, non esse Metaphysicæ ditionis sed res. Ast hîc considerandum est quod Phylosophus lib. 1. Elench. Soph. cap. 1. tradit, videlicet, non posse nos res ipsas ad disputationes afferre & ideô nos uti vocibus. Concludimus ergo de rebus vocibus significatis primum Philosophum agere. Et hoc est quod Zabarella l. b. 1. de nat. Log. c. 3. scribit Philosophum considerare notiones primas, quas definiens, inquit, esse nomina statim res significantia per medios animi conceptus.

7. Ad 2. modum istum considerandi non satis esse intelligibilem, undè dilucidius istum explicari oportebat. Terminus ergo causæ, causati etc. à Keck. in parte 1. log. spectatur vel quatenus significat res ipsas vel quatenus Logicus ostendit modum ex eo argumentum petendi pro conclusione probanda, vel demum quatenus subit subjectũ operationis logicæ quod primô præcogno-

præcognoscendum est Arist. 1. Eth. Nic. cap. 13. sed non primo modo, quia sic ad Methaphysicam pertinet; non secundo, quia sic lib. 3. Syst. de eo agit Keckr. neque demum tertio, nam subjectum secundum affectiones suas reales est cognoscendum, ut videre est in categorijs Arist. licet non propter cognitionem sed operationem. At de his terminis sub reali considerationis modo in logicis Kecker. non docuit, si credimus ejus discipulo. Deinde subjectum disciplinæ nunquam constituit partem ejus essentialem. Zab. lib. præc. c. 5. At tractationem terminorum causæ, causati, totius etc. facit Keck. essentialem nim. primam logicæ partem. E. Quo ergò tandem respectu agit, quæso te, Keckermannus de hisce terminis? inquis, quatenus sunt termini affectiones Entis declarantes, qui fuerint retinendi, cum aliæ voces Logicæ inveniri nequeant congruæ his repræsentandis notionibus primis non secus ac vox substantiæ & accidentis, at non ut amplius voces notionis primæ sed ut voces notionis secundæ, qui item canonibus declarandi fuerint, quia his remotis umbratilis natura termiuorũ logicorum esset & nequaquam exactè cognosceretur & facem huic methodo prætulerit Arist. quia prædicamenta regulis merè metaphysicis depinxit.

§. VERVM EXPLICES te rogo, quid nam tibi velis, quãdo scribis terminos hos considerari à logico, quatenus affectiones Entis declarant, in quonam cõsistat intentionalis ista eorum consideratio, quam toties ingeminas. Causa etiam in Metaphysicis est terminus affectionem entis disjunctã significans & declarãs. In quo ergo differt significatio ista & declaratio Metaphysica à logica? Ego herclè ut verum fatear adeo naris emunctæ non sum, ut considerandi istũ modum intelligam, quod vel mei intellectus tenuitati vel rei falsitati tribuendum erit. Falsum n. est inexplicabile & inintelligibile, quia non Ens est, Arist. 6. Met. quod intellectui non objicitur. Sit ergò nobis ratum, horum terminorum aliam considerationem in logicis non dari jure, quam quatenus vel subjectum esse possunt operationis logicæ, vel quatenus ex ijs argumentandi modus ostenditur. Neuter. v. respectus accuratam istorum terminorum considerationem requirit: ut ipsa praxi nobis ostendit dux noster Arist. Vanũ ergò est quod de canonibus affert Rasius. Istorũ n. tam exquisita in logicis Keck. instituitur contemplatio ut logica esse desinat, & metaphysica evadat, sicuti inductione patet. Et sanè termini substantiæ, accidentis, quantitatis etc. non notiones secundæ fiunt in logicis, ut persuasum est Rasio, sed sunt & manent notiones primæ. In Metaphysicis accuratè cognoscuntur, in logicis παχυλῶς. Sed de his paulò post fusius.

9. Pag. 13. Errorem interpolat Calvinisticum dicendo, Sacramenta esse signa signantia & confirmantia simul cum quadam analogia: *Error verè est quo ipsum sacramentorũ Esse ipsam formalem rationem in significatione, σχέσει, ἀναλογίᾳ reponunt Cinglio-Calviniani ita ut Sacramenta nuda sint signa, & non tantum non conferant rem cælestem, sed & ne gratiam quidem, ut apud Bezam videre est part. 2. Resp. ad Acta colloquij Mompel. Breviter debis, cum Theologorum Acroaterijs propria. Sacramenta sunt vel V. vel N. T. Illa verè signa sunt σημαντικὰ τυπικὰ σχετικὰ signantia respectu rei cælestis Hebr. 10. v. 1. respectu v. gratiæ verè signa sunt πρακτικὰ, μεταδοτικὰ, παρεκτικὰ, προσφερόμενα, exhibitiva. Gen. 17. Exod. 12. Hæc signa dici possunt (1.) quoad partem Sacramenti respectu rei cælestis non σχετικὰ, τυπικὰ, signantia, sed conferentia & exhibentia. Verè n. & realiter res cælestis per ea confertur. Math. 26. v. 26. 1. Cor. 11. v. 24. Ioh. 3. v. 5. Mar. 16. v. 16. etc. (2.) quoad totum respectu gratiæ similiter exhibentia. Tit. 3. v. 5. Eph. 5. v. 26. Hæc est ὀρθοδοξία Lutheranorum, circa quam notandum, dicto modo quidem Sacramenta dici signa à fine partim, partim ab adjuncto sed in signando Esse & λόγον eorum nequaquam consistere, ut nec in ἀναλογίᾳ. Probo: Esse Sacramentorum in ipsis institutionis verbis sit expressum. At significationis & analogias in ijs nulla fit mentio. E. Major ex Regula Theologica constat: De quolibet Sacramento ex propria sede judicandum. Sed de his accuratè & solidè vide Celeberrimũ Theologum Dn. D. Balth. Menzerum tom. 3. disp. Gies. disp. 6. 7. 8.*

Quaestio Nona.

An Philosophia sit nomen seu Ens collectivum?

THESIS I.

Asit Keck. p. 15. nec improbamus nos, sed majoris perspicuitatis ergô addimus distinctionem Entium collectivorum. Quædam n. multorum entium aggregationem notant sine subordinatione & dependentiâ à se invicem, ut cumulus granorum, sylva, fasces etc. Quædam v non nudam notant aggregationem, sed talem, quæ certum ordinem & unionem habent. Vt civitas, Ecclesia. Illa collectiva imperfectiora, hæc perfectior-

ctiora ex ipso Keck. p. 94. appellare possumus: & perfectioribus collectivis accensendam putamus Philosophiam. Cæterum duo huic assertioni videntur posse opponi. I. Nullum Ens collectivum est per se & directè in ordine prædicamentali Keck. lib. 1. Syst. log. p. 39. At Philosophia directè est in ordine prædic. E. Philosophia non est Ens collectivum. Minor probatur quia omnis habitus est directè in prædicamẽto, quia est species qualitatis. Arist. in prædic. Et Keck. quoq; habitus istos ut sunt Physica Metaphysica etc. sub habitu secundâ qualitatis specie comprehendit, ut in tabula qualitatis videre est. II. Nullum Ens collectivum perfectè definitur Keck. Syst. log. lib. 1. p. 15. Omne n. definitum perfectè definitionis sit per se ac directè in rerum ordine prædicamentali. Idem p. 226. At Philosophia perfectè definitur: E. Minorem probamus perfectam Philosophiæ definitionem adducendo: Philosophia est habitus hominem secundum intellectum & appetitum perficiens ad summi boni adeptionem. Quam definitionem perfectam esse probo ex hypothesi Keckermanni. Definitio perfecta est, inquit, definiti per terminos essentiales explicatio. Sed adducta definitio constat terminis essentialibus. Constat n. genere exquisito, subjecto & fine, quæ omnia ad essentiam Philosophiæ pertinent Keck. lib. 1. Syst. log. p. 235. Est igitur ex hypothesibus Keck. hæc definitio perfecta.

2. Sed Resp. ad primum argumentum per simplicem negationem Minoris, & ad probationem ejus distinguendo inter habitus simplices & compositos seu inter habitus partiales & totales. Illos dicimus per se esse in prædicamento, hos non nisi ratione illorum; quãdoquidem totalis habitus multorum partialium aggregatione & collectione constat, ut ostendit Fonseca ad lib. 6. Met. Arist. c. 1. q. 2. s. 3. Suaretz Disp. Met. 44. s. V. §. 55. Hinc argumentamur. Si totales habitus isti ut Physica, Mathematica etc. non sunt directè in prædicamento, multo minus hic habitus qui dicitur Philosophia. A majori ad minus negativè proceditur. At prius est, Ergo posterius etiam. Ratio connexi in Majori est, quia habitus isti totales, ut Physica, licet plurimorum partialium collectione constent, reducuntur tamen ad unum subjectum generale adeoq; ordinem inter se habent, quin & sub modo considerandi istius subjecti concluduntur, penes quem totales habitus ab invicem discriminantur. Idem v. de habitu, qui philosophia dicitur, asseri nequit. Vbi n. unum Philosophiæ subjectum? Vbi unus considerandi modus? Verum

 quicquid

quicquid sit, omnes tamen isti habitus totales, quibus integra Philosophia absolvitur, in fine conspirant, in eo nim. quod hominem perficiunt.

3. Ad secundum argumentum mallem ipsum respondere Keckermannum cum ex ejus hypothesibus rectè videatur concludere. Sed relictâ definitione perfectæ definitionis Keck. quam infra demum videbimus ad rem ipsam dicimus 1. perfectè non definiri quia directè non sit in prædicamento. 2. non sufficere terminos essentiales ad perfectam definitionem, sed insuper, ut per se quoq; & essentialiter sint uniti & cohæreant, requiri. Iam v. in definitione philosophiæ habitus intelligitur non simplex, sed aggregatus constans ex multis habitibus per se non cohærentibus; quare ipsi termini quibus explicatur iste habitus per se quoq; non cohærebunt; licet ergo veramillam definitionem concedamus perfectam tamen negamus. Concludimus igitur Philosophiam esse Ens collectivum seu per aggregationem.

Quaestio Decima.

An insipida sit distinctio, quâ analoga alia dicuntur attributionis, alia proportionis?

Thesis I.

Ita tenet Keck. p. 22. ubi eam a Scholasticis ex ignorantiâ Græcæ linguæ introductam scribit; Aristotelem ea, quæ sunt πρὸς ἕν καὶ ἀφ' ἑνὸς ab analogis discernere. Sed esto, sint hæc ita, ut statuit Keck. (1.) tamen eruditorum est in usu vocum, ubi de re est consensus, esse faciles. Est n. dictio æstimanda non propter se sed propter id, quod significat. Iam v. de re hic est consensus. Ergo tam rigorosè eam carpere Keckermannus non debebat. (2.) Et quid est, quod distinctionem istam juventuti suspectam facere velimus, cum tot annos ante Keckermannum obtinuerit ejus usus, pulpita eam sonuerint, libelli Metaphysici frequentarint, & etiamnum hodie frequentent & usurpent? Vtendum est verbis receptis, inquiunt logici. At v. hæc distinctio à Philosophantibus est recepta, quid n, vulgatius quam dicere Genus analogicum? Vive moribus præteritis utere verbis præsentibus ex Gellio lib. 1. c. 10. jubet ipse Keck. p. 26. Cui nos; vive moribus præteritis, utere distinctionibus præsentibus.

2. Cæterum dum Keck. receptas distinctiones fugillat & aversatur, ipse tales;

tales substituit, ad quarum intellectum Oedipo esset opus, nisi exemplis suam mentem declararet. Quid n. sibi vult vox ambigua dependentiæ vel similitudinis? quid ambigua simplicis similitudinis vel compositæ? Quid ambigua simplicis similitudinis ex similitudine conceptus vel rerum ipsarum? Obscuræ sunt hæ divisiones, novæ & inauditæ, quibus in ipso statim vestibulo discentium ingenia retardantur.

3. Pag. 28. Theologos Lutheranos (quos vbiquetarios subindè sed malitioſè vocat) accusat Keck. ob introductos novos terminos Eutichianos & Pelagianos olim damnatos, quales sint (1.) terminus geminæ divinitatis communicantis & communicatæ, quo expressè Brentius utatur in suâ Recognitione (2.) Μεθάχυσις seu transfusio divinarum proprietatum in carnem, (3.) triplex communicatio idiomatum (4.) triplex essendi modus carnis Christi (5.) humana natura Christi finita secundū modum circumscriptionis, eadē infinita secundū modum infinitatis. (6.) Cælum æternum, increatum, invisibile (7.) concretum & abstractum, quos terminos contra omnium logicorum & Theologorū usum mirificè esse deformatos (8.) electio universalis, remissio peccatorum generalis (9) Reproborum cum DEO reconciliatio (10) Infidelium communio cum Christi substantia & simlia vocum & terminorum prodigia.

4 *Cæterum partim in his Keck. calumniæ spiculum admiscet, falsa affingit, partim distinctiones commodas detorquet. (1.) n. nullus Theologorum adeoq; nec Brentius in loco allegato geminam devinitatem tradit, Docent v. omnes unã esse divinitatẽ, quæ alio atq; alio modo consideretur, prout nim. est communicans & communicata. Eadem n. divinitas scilicet limitata certo ὑποκειμένῳ se ipsam communicat carni assumendo illam; Vnde sine ullâ absurditatis suspicione cõmunicans & cõmunicata dici potest, sicut Christus quoq; & sacrificãs, quatenus sacerdos est, & sacrificatus, quatenus θυσία est, appellatur. II. Transfusionẽ divinarũ proprietatem ad unum omnes negãt*

econtrá

econtrà κοινωνίαν, non Physicam non essentialem sed realem docent. Impudentia v. magna est toties elisas calumnias recoquere. Vide D. Chemnit. lib. de duab. nat. p. 12. & seq. III. Tres gradus, tria genera, tria capita, dicunt nostrates, esse communicationis idiomatum, & non ita crudè triplicem communicationem idiomatum. Dari a. omninô, & necessariò tres gradus ponendos esse, si sacram scripturam rectè volemus ἀναλύειν, multis probant Theologi. Vide Doct. Chem. loco præallegato & D. Menzerum Tom. 1. disp. Gies. disp. 2. th. 82. & seq. IV. Tres carnis Christi modos non simpliciter essendi sed existendi, imo plures ex sacra scripturâ rectè tuentur nostrates. Aliter n. inquit Chemnitius lib. de duab. nat. c. 3. in terrâ Christus conversatus fuit, aliter in cælis apparet in Gloria, aliter adest in cœna cum pane & vino, aliter in tota Ecclesia, aliter omnes creaturas ἐν λόγῳ sibi præsentes habet. Quæ certè plana sunt & perspicua, firma, certa, solida. V. Nemo unquam eo sensu infinitam dixit carnem Christi, nec ista distinctio tam insipidè à nostris proponitur; limitationibus n. utuntur convenientioribus ut sunt respectus naturalis & personalis, κατ' οὐσίαν καὶ καθ' ἕνωσιν καθ' αὐτὸ καὶ κατ' ἄλλο, οὐσίᾳ καὶ ἐξουσίᾳ etc. VI. Cælũ rectißimè dicitur æternum etc. quia ista vox in scripturis crebrô ipsam DEI majestatem notat ut patet ex locis Math. 21. v. 25. Ioh. 6. v. 51. Act. 3. v. 21. 1. Cor. 25. v. 47. VII. Quæ sit significatio vera & propria terminorum concreti & abstracti exquisitius docetur à Lutheranis quam Calvinianis. Vide Chemnitium lib. de duab. nat. c. 13. Menzerum l. alleg. d. 3. th. 35. & seq. Meisnerum in phil. sob. s. 4. cap. 1. IIX. Quid Lutheranis commercij cum Huberi errore? quem publicè damnarunt. IX. Christum totum mundum DEO reconciliasse adeoq; & reprobos ad scripturæ perpetuum tenorem verè inculcant. Vide Menz. Tom. 1. disp. Gies. disp. 14. & 15. Quin & reprobos verè ad tempus credere adeoq; ipso actu DEO esse reconciliatos, similiter tradunt. Vide Eundem l. a. X. Vt & illud, Infideles revera participare substantiam corporis Christi in cœnâ sed ad judicium. Vide Claris. Hutterum Præcept. nostrum in form. Con. Art. 7. quæst. 5. Et hæc omnia dicto modo sacris scripturis sunt conformia ac proinde in his verbis & vocibus candidè propositis nulla sunt prodigia; Qualia plurima extare in scriptis Calvinianorum docent Theologi.

QUAE-

QUAESTIO VNDECIMA

An prædicamenta sint patrimonij Logici seu Logicæ pars essentialis?

THESIS I.

AFfirmat *Keck.* p. 34. Quod inde, inquit, volunt exstruere Prædicamentorum doctrinam quandam saltem Logicæ προπαιδείαν ἢ προθεωρίαν esse, id probari neutiquam potest; siquidem prædicamentalis series æquè est secunda notio & organon Logicon ac propositio, syllogismus &c. itaq; non minus intra ipsammet artis methodum essentialiter includitur, ac reliqua instrumenta logica, id quod vel ex doctrina prædicabilium facillime potuissent intelligere. Genus n. & species certè sunt notiones secundæ Logicæ, & idcircò necessaria pars artis. At prædicamentum omnibus confitentibus nihil aliud est, quam generum & specierum quædam comprehensio Logica. *Duobus ergò argumentis Keck. evincere conatur, prædicamenta constituere Logicæ partem essentialem (1.) quia prædicamenta sunt notiones secundæ (2.) quia eadem sit ratio prædicamentorum, quæ prædicabilium: quibus addi potest tertium ex ijs, quæ paulo antè pag. 32. habet.* Observandum, inquit, prædicamenti vocem esse aggregativam, quæ in se continet quoddam materiale & formale: materiale sunt res in tabulis adumbratæ, formale est illa ipsa Logica series &, ut sic dicam, scala; & hoc est quod logicus præcipuè & per se in prædic. spectat: materiale v. seu res ipsas per se in prædicamentis non attendit, sed per accidens tantum in respectu ad illam dispositionem seu seriem, quæ sola est Logici ac quidem solius. *Hinc argumentum: Si series prædicamentalis solius logicæ propria est, ejus consideratio alij disciplinæ non competet, sed essentialis erit logicæ. At prius est. E.*

2. Et sane adstipulatores in hac sententia non paucos habet Keck. eosq; sat nobiles. Antonius Genua, Ludovicus Buccaferreus idem tuentur, contra quos disputat Antonius Bernh. Mirandulanus in libris Apologiæ. Zaborella lib. 2. de Nat logicæ c. 4. 5. 6. multis contendit librum prædicamentorũ esse logicum. Crellius & χρῆσις & κλῆσις ad logicã prædicamenta pertinere docet lib. 1. log. p. 41. Iacobus Martini in disp. miscellaneis disp. 8. idem nõ obscurè statuit. Idẽ quoq; velle videtur Fintkius part. 2. Schieb. p. 87. Vvremb. exer. log. p. 187. Omnes v. hi secus probant suum institutum, atq; Keck. Cæterum placet nobis cum Arnisæo in notis ad Crel. p. 45. quæstionis negativa, quam sequentibus probamus argumentis. (1.) Nullũ subjectũ alicujus disciplinæ est de essentia ejusdẽ Refertur n. inter præcognita, Arist. lib 1. post. anal. c. 1. Zab. libro de trib. præcog. c. 5. At prædicamenta sunt subjectũ logicæ non abnuente ipso Keck. p. 131. Res ipsas n. continent, quibus formæ logicæ inprimi debent. E. Nec est quod ad Majorem excipias: Arist. & Zabarella de subjecto scientifico loquuntur: nam licet hoc largiamur eâdem tamen ratione idem probare poßumus de subjecto operationis, quâ illi de subjecto scientifico.

3. II. Tota logica occupata est in contemplatione notionum secundarum Atqui prædicamenta continent res vel summa rerum genera, vel Entis, ut venialis sit locutio, q. species. Ergo prædicamenta non possunt constituere essentialem logicæ partem. Minor tribus argumentis probata extat apud Clar. Scheiblerum lib. de nat. log. pag. 197. è quibus unum, quod Averroi tribuitur huc transcribere placet. Est ergo tale: De his præcipuè agitur in categorijs quorum ibi traduntur proprietates. Atqui proprietates in prædicamentis positæ conveniunt rebus quatenus res sunt. Ergo Argumentum Achillæum.

4. OBIICIS, res tradi in prædicamentis, non quatenus res sunt sed quatenus substant notionibus secundis, ideoq; juxta hunc considerandi modum rerum contemplationem logicæ posse esse intrinsecam Resp. 1. totum subjectum tàm formale quam materiale esse extra disciplinam, cujus est subjectum. priori nostro argumentum evictum est. 2. verus effati hujus: res considerantur in prædic. non quatenus res sunt sed quatenus substant notionibus secũdis sensus est eruẽdus, qui ex vero particulæ reduplicativæ, QVATENVS, intellectu ultro emerget. Dicimus igitur hîc, QVATENVS, reduplicativè in hac propositione accipi adeoq; notare cau'am ob quã res prædicamẽtales in vestibulo logicæ cognoscãtur, quæ est ut advertat logicus quomodo intẽtiones

suæ

ſuæ quadrēt in notiones primas, quomodoq; in illis verificentur. Relinquitur ergo, verum pronunciati iſtius ſenſum eſſe. res ipſas quidem etiam in ordine ad affectiones ſeu proprietates reales, licet Minervæ pinguiori & παχυλῶς, ut jam oſtenſum, in prædic. cognoſci, ſed non ob cognitionem, quaſi in ea acquieſcat logicus ſed ob operationem. Si quis ergo obtendat; rerum conſiderationem pertinere ad ſcientias reales ideoq; non poſſe ſubjectum Logicæ eſſe illi rectè reponitur iſtud effatum.

5. *III. Quodcunq; non refertur ad ſyllogiſmum nec ad directionem intellectus illud logicum cenſeri non debet. Finis n. dat menſuram medijs. At prædicamenta non faciunt ad ſyllogiſmum nec ad directionem intellectus. E. Ad probandam minorem novam formabimus pòſt quæſtionem. Quæ argumenta in contrarium à Zabarella & Crellio alijsq; afferuntur, non probant prædicamenta Logicæ eſſe intrinſeca, quod tamen erat probandum: & poteſt contra ea notari, (1.) prædicamenta Logica à Metaphyſicis non differre niſi ratione & modo tractandi. Rudior enim prædicamentorum conſideratio eſt in Logicis: in Metaphyſicis v. exquiſitior. Verum accidentali hac conſideratione Logicus non mutat ipſa prædicamentorum eſſentialia ut docet Arniſ. in notis p. 81. Vnde ob rudiorem iſtam contemplationem res prædicamentales eſſe id quod ſunt, non deſinunt h. eſt, ex Metaphyſicis non fiunt Logicæ: nec ſumma iſta genera ſeu q. Entis ſpecies, quæ ob uſum Logicum prædicamenti titulo inſcribuntur, ob rudem iſtam tractationem deſinunt tales eſſe. Ergo nec rudior iſta tractatio facit ut prædicamenta conſtituant Logicæ partem eſſentialem. Quod etiam inde patet, quia licet exquiſitiſſimè in libro Categoriarum genera iſta ſumma explicarentur, nihilominus tamen Logicæ eſſe ſubjectum.*

6. *(2.) Deinde tractationem prædicamentorum, quæ communiū præcognitorum ratio eſt, non tam propter logicam in ipſâ logicâ fieri, quam ob ruditatē Auditoris, qui ex Metaphyſicis eorum doctrinam haurire nondum potuit. (3.) Artem fabrilem, quatenus talis, non docere quid ſit ferrum, ſed ferri notitiam à phyſico mutuari, unde nec illa cognitio pars artis fabrilis eſſe poteſt, ut colligit Zab. lib. 2. de nat. Log. cap. 6. pag. 65. Vid Gocl. prob. Log. part. 1. pag. 167. ſed hæc ἐν παρόδῳ.*

7. *Redimus ad Keck. & ad ipſius argumenta reſpondemus. Ad (1.) per verſiculum Catulli:* Non ſatis eſt iſtuc uno te dicere verbo: ſed facere ut quivis ſentiat & videat. *Simpliciter ergò*

negamus prædicamenta esse notiones secundas. An n. substantia, quantitas qualitas est notio secnnda? Anne v. substantia etc. prædicamentum? Deinde notiones secundæ pertinent ad logicam ratione ϑεωρίας. Prædicamenta v. non ratione ϑεωρίας sed ποιήσεως Keck. p. 33. E. prædicamenta non sunt notiones secundæ. Ad (2.) Resp. in eodem quoq; principium peti. Nam & prædicabilia de essentia logicæ esse mox peculiari quæstione negaturi sumus. Ad (3.) Resp. illud eodem vitio laborare. Res. n. per prædicamenta distinguere Metaphysici est, quod etiam mox probabimus Et certe quomodo series prædicamentalis esset notio secunda, cum eâ res ipsæ distinguantur. Erit igitur ordo iste aliquid reale. Inquis: prædicamenta esse ordinem generum & specierũ, quæ sunt notiones secũdæ. Resp. paulò antè p. 29 dixit Keck. prædicamentorum principalem scopum esse res distinguere & per classes ordinare, jam v. esse generum & specierum logicam comprehensionem. An v. genus & sppecies res sunt? concilia. 2. rebus in prædicamentis contentis accidere, ut sint genus & species ideoq; propter res genera & species disponi in ijsdem non incommode asseverari.

Quaestio Duodecima.

An per prædicamenta dirigatur prima mentis operatio?

THESIS I.

Affirmativam tenet Keck p. 32. Vbi ita habet. Prædicamentum notio est non prima sed secunda, terminus videlicet & organon λογικὸν, quo in rerum cognitione dirigitur intellectus noster. Cum Keck. faciunt Lovanienses in præmio Categ. Arist. p. 37. quos sequuntur Iacobus Martin. l. d. & Casparus Bartholinus in Enchiridio logico p. 35. A parte quæstionis negante nos stare in antecedente problemate ostendimus. Eam igitur probamus 1. Si prædicamentorum scopus est primarius subjectum Logicæ explicare, ijs nequaquam dirigetur intellectus. At prius est, ut patebit quæstione sequenti. E. II. Quocunq; dirigitur intellectus, illud est νόημα νοημάτων Ens rationis, notio secunda. Sed prædicamenta sunt res ipsæ, sunt notiones

prima,

primæ, ut propatum antè. E. prædicamentis non dirigitur prima intellectus operatio. Major probatur duplicicer (1.) Quocunq; intellectus dirigitur ad veritatem est instrumentum Logicum. At omne instrumentum Logicum est notio secunda, ut constat. (2.) Quæ est natura instrumentorum logicorum pro secunda & tertia mentis operatione, ea etiam est illorum, quæ pro prima fabricantur. At illa sunt notiones secundæ citra controversiam. Er- & hæc.

2. III Si per prædicamenta simplicium apprehensio dirigitur, jam bis Arist. egit de re una & eâdem. Ille n. in nomine & verbo de directione ista egit: quod probatur (1.) quia sunt termini Logici simplicissimi adæquatè apprehensioni simplicium respondentes (2.) quia nomen & verbum sunt materia syllogismi, non v. prædicamenta. Quocunq; v. dirigitur prima mentis operatio remota syllogismi materia sit, sicut propinqua materia sunt enunciationes, quibus secunda operatio informatur. Cæterum ad hæc tria excipi possunt (1.) per prædicamenta dirigi primum intellectus actum, quatenus propter rerum distinctionem rationi multum conferunt, ut suo munere in veritate indaganda & rectè & facilè & tutò fungi possit, quæ sententia est Regij lib. 2. disp. Log. p. 1. p. 320. Sed Resp. (1.) esse σοφισμα ἐλεγοζητήσεως. Quæritur n. an per prædicamenta dirigatur prima intellectus operatio modo logico, quod per res ipsas, quæ in prædicamentis continentur fieri nequit, nisi Metaphysicam dirigere rationem velimus dicere. (2.) nec propter rerum distinctionem per prædicamenta quod intellectus dirigatur rectè dici potest, nisi pariter dicamus Metaphysicam intellectum regere: nam mox probabimus distinctionem rerum omnium pertinere ad Metaphysicam, cujus res distinguere munus proprium. (3.) rerum distinctio multum confert omnibus intellectus operationibus. E. omnes quoq; per prædicamenta regētur.

3. Alterum est, primam operationem intellectus dirigi per prædicamenta, quatenus intellectus primo isto suo actu circa res prædicamentales versatur & istis notionem logicam simplicem imponit. Resp. nec illo quicquam proficit: (1.) ob fallaciam eandem (2.) quia nulla est consequētia: intellectus rebus in prædicamentis accommndat notiones secundas. ergo intellectus per prædicamenta dirigitur (3.) Intellectus rebus istis non tantum imponit simplices sed & complexas notiones, quis n. materiam pro enunciationibus & Syllogismo in prædicamentis comprehendi negat? Ergo hac ratione omnes tres operationes dirigentur per prædicamenta. (4.) quid? quod logicus primis

notionibus secundas imponere demum incipiat in libro περὶ ἑρμ: Zab. lib. 2. de nat. Log. c. 3. p. 63. Ergo

4. Tertium quod excipi potest est: Tractationem de simplicibus terminis debere esse geminam, absolutam scilicet & relatam: absolutè ergo de ijs agi in prædicamentis, relatè in doctrina de nomine & verbo. Ad hanc exceptionem prolixè Resp. Zabarella lib. 2. de nat. log. cap. 3. Vnde quæ huc faciunt repetantur. Et posito, doctrinam de nomine & verbo esse relativam, an propterea per eam dirigi non potest intellectus? quæ causa, cur minus? Arnisæus certè in notis utrumq; dicit pag. 45. & 197. Prædicabilibus ajunt, dirigi primam operationem mentis, ut sunt genus, species &c. Anne v. borum terminorum definitiones relativæ? Immota ergò stat conclusio per nomen & verbum & non per prædicamenta τὴν νόησιν τῶν διαλεκτῶν dirigi,

5. Verum huic conclusioni totum se opponit Clar. Vir. Iac. Martin. in disput. miscell. disp. 8. th. 7. & seq. suumq; ut obtineat institutum, in id unicè probandum incumbit, nimirum in prædicamentis non haberi primas sed secundas notiones, quo impetrato, ultrò sequi putat per prædicamenta primam dirigi intellectus operationem. Cæterum ex Avicenna antè in contrarium adduximus rationem firmissimam, quâ in prædicamentis res ipsas tradi efficacissimè docetur, quam hic repetitam volumus & reliquas illas duas, quæ apud Scheiblerum extant l. d. Rationes Iacobi Martini huc transferre & discutere nostri non est propositi: pro earum solutione obiter notentur sequentes observationes. (1.) Res ipsas in prædicamentis tradi & cognosci cognitione licet confusa & umbratili, non ob cognitionem sed quia sit subjectum operationis Logicæ, h. est, ut ijs formas logicas adaptet II. Res ipsas contineri in prædicamentis prout substant notionibus secundis, sed (1.) eo sensu. quo explicatum antè (2.) non tantum prout substant simplicibus sed & complexis, enuntiationi & syllogismo. prædicamenta n. objectum sunt universæ Logicæ. Reg. lib. 1. disp. Log. prob. 1. p. 115. (3.) non necesse esse ut ipso actu substent, imò nequidè posse, cum nondum sint formatæ. III. fieri quidem mentionem notionum secundarum generis, speciei, &c. sed fieri mentionem tantum, nudam videlicet inibi earum esse mentionem non explicationem. Quomodo v. ibi res potest tradi ubi non explicatur: IV. Substantiam quidè explicari per notiones secundas, sed non de necessitate. In-

stitutæ

stituto n. Arist. erat satisfactum, si substantia ita explicaretur, quo à Logico intelligeretur. Nec v. exinde ullâ consequentiæ ratione probatur, in prædicamentis contineri notiones secundas. Et si hæ in illis continentur, ubi quæso subjecti Logicæ præcognitio? V. probè notetur, quod habet Arnisæus in notis p. 47. Quod per accidens, inquit, traditur in disciplina (ut prædicabilia) & est quasi præparatio ad universam disciplinam cum cæteris partibus confundi non debet. Nec illud valet effugium, quod prædicabilia debuerunt prædicamentis immisceri, quia præterquam quod Arist. illud non fecerit etiam per se absurdum est, notiones secundas immiscere primis, & simul, ubi doceas substantiam esse genus, docere quid sit genus, ac si, dum docet Aristoteles animam esse actum corporis organici potentiâ vitam habentis simul docere debeat, quid sit definitio. Ita n. confunderetur actus præceptorum logicorum exercitus, cum actu signato. Hactenus Arnisæus. Quibus ita positis iterum concludimus non πειρασικῶς & velitario modo sed δογματικῶς & minus hæsitanter cum Goclenio part. 1. prob. Log. γυμνασίο 9. pag. 69. librum categoriarum esse non de notionibus secundis sed de rebus, sed de primis notionibus. Id quod erat concludendum.

Quæstio Decima Tertia.

An principalis prædicamentorum in Logicis scopus sit res omnes in naturâ ordinare, disponere & ad certas classes redigere?

THESIS I.

Ita statuit Keck. p. 29. Scopus, inquit, seu usus prædicamentorum est vel absolutus respectu primæ partis Logicæ: vel consideratus respectu secundæ & tertiæ partis. Absolutus atq; adeo principalis Scopus est, quam definitione expressimus, videlicet rerum in mundo ad sensum inter sese commixtarum distinctio in certas classes, & mutua ad se invicem per gradus superiores & inferiores ordinatio & dispositio, ut mens nostra facilius unam ab altera separatam definire & dividere possit.

Contra

2. Contra: proprium Methaphsicæ officium non debet nec potest Logicæ arrogari. At qui res disponere & ad certas classes redigere est Metaphysicæ. E. Logicæ hoc arrogari non debet. Minorem probo: (1.) Cujus disciplinæ est Ens in suas q. species partiri, specierumq; species contemplari, illius est res disponere. Divisionem namq; rerum naturalem naturalis earum dispositio & coordinatio κατὰ πόδα sequitur. At hoc facere munus Metaphysici est. Arist. lib. 4. Met. c. 2. τοῦ ὀντὸς ὅσα εἴδη θεωρῆσαι μιᾶς ἐστι ἐπιστήμης τῷ γενει τάδε εἴδη τῶν εἴδων. E. Metaphysicæ est res disponere. Et quæso te edißeras nobis, anne Metaphysica Ens dividat in substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, etc.? Si negas, hospes certè es in Metaphysicis Arist. qui paßim istam divisionem inculcat lib. 5. Met. c. 7. 6. Met. c. 2. 7. Met. c. 1. &c. Si verô dicto modo ens dividit, quî audes negare Metaphysicam disponere res? Quid n. aliud est res disponere, ad certas classe redigere, quam res ad substantiam: quantitatem, qualitatem &c. refrrre? (2.) Arist. 1. Met. c. 11. docet. Sapientem seu Methaphysicum ἐπίστασθαι μάλιστα πάντα, ὡς ἐνδέχεται, μὴ καθέκαστον ἔχοντα ἐπιστήμην αὐτῶν. Ex quo argumentor: Metaphysicus scit omnia ordinatè vel inordinatè & confusè. Non hoc: pugnat n. cum omni scientificâ cognitione, quæ artificiosa adeoq; ordinata est. E. ordinatè omnia Metaphysicus scit. Quo stante, non potest, quin Metaphysicus res ordinet & disponat, atq; sic ordinatè cognoscat.

3. II. Cujus disciplinæ non est in rerum versari cognitione, illius quoq; non est ordinem rerum tradere. Ratio, quia & res & ordo earum naturam & appellationem notionum primarum induunt. Qui n. ordo rerum potest esse notio secunda? perperam & sine ratione hoc asserit Keck. tract. 3. præcog log. pag. 49. At logicæ non est in rerum cognitione versari, E. nec res disponere. Pergo. Si logicæ simpliciter non est res disponere, falsissimum est principalem prædicamentorum scopum esse res ordinare. At prius est E. Principalem ergo scopum prædicamentorum esse dicimus cum Arnisæo in notis p. 45. explicare subjectum logicæ. Hoc n. omnibus artibus aut arti similibus disciplinis cognoscendum est, ut patet 1. Eth. Nic. 13. Nec ipse Keck. hoc negat p. 33.

4. Quin & Clar. Iac. Martin in Instit. log. lib. 2. cap. 4. p. m. non obscurè nostræ favet sententiæ. Ponit n. ille definitionem categoriarum hanc: Categoriæ sunt classes rerum omnium per genera, species & differentias dispositarum, ut ex illis primô materies prædicationis depromatur. Definitio

sane

sane accuratissima, quæ subjectum operationis Logicæ tàm rei consideratæ quàm modi considerandi respectu exhibet: Rem quidem consideratam illis verbis: Prædicamẽta sunt classes rerum omniũ per genera & species dispositarum, modũ considerandi verbis reliquis, videlicet ut primô materies prædicationis ex illis depromatur. Qui ipse modus considerandi scopum prædicamentorum principalem, quem nos definivimus, luculentissimè proponit: quod vel vox primô arguit. Notari quoq; potest, per vocem prædicationis in definitione rectissimè intelligi omnes tres gradus notionum secundarum. Ex definitione 2. hac (3.) pro negativa tale elicimus argumentum: Si scopus prædicamentorum principalis est præbere materiam, seu res jam dispositas Logico pro prædicationibus h. est enunciationibus & syllogismo, falsa erit assertio Keck. At prius est E. & posterius. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Quæstio Decimaquarta.

An entia concreta reductivè sint in prædicamento?

Thesis I.

Ita Keck. p. 39. Nos distinguimus majoris evidentiæ causâ. Concreta alia sunt substantialia, alia accidentalia: hæc reductivè sunt in prædicamento, & sic intellecta sententia Keck. est vero consona. Ista v. directè. Vocamus autem substantialia, quæ ipsam quidditatem cum subjecto, quod illam habet, notant, e. g. homo, equus, quæ ipsa tamen abstracta quoq; dici possunt respectu materiæ singularis. Esse v. hæc directè in prædicamento, vel inde constat quod sint entia per se. Sed hæc plana. Quid putas suntne abstracta ab inferioribus, ut ex Thoma vocat Keck. p. 14. seu abstractione ultimâ, ut Suaretz, seu à subjecto essentiæ ut Meisnerus appellat, suntne inquam hæc abstracta directè in prædicamento e. g. animalitas, humanitas equinitas? Negat Keck. p. 38. & rectè. Argumentum ejus tale est: Quod directè in prædicamento recipitur sit species, constituta nim. ex differentia & genere. At ista abstracta non sunt species. E.

2. *Huic addo aliud: Si humanitas est directè in prædicamento, de ea tanquam genus prædicabitur animal, corpus, vivum &c. At hoc est absurdum. Quomodo n. concretum esset genus abstracti, & vice versa. Imo quî esset genus, cum concretum cum abstracto nullo naturalis prædicationis modo*

jungi queat. Annumerantur ergò ista abstracta rectè Entibus incompletis, ob id quia in quid non prædicantur; prædicari n. in quid est nota Entis completi universalis. Non venire in compositionem alterius Entis ut cum eo faciat unum per se, nota est Entis completi singularis. Hinc argumentum: Substantiæ incōpletæ non possunt habere idem genus, quod completæ, Fonseca in lib. 5. Met. c. 8. quæst. 3. s. 2. humanitas, animalitas &c. sunt substantiæ incompletæ. E. cum homine & anima non possunt habere idem genus. Ergo nec directè cum ijsdem in eodem loccabentur prædicamento. Minor est Soarij disp. Met. 34. s. 1. d. 7.

3. P. 42. Entibus fictis impossibilibus (quæ definit, quod cum implicent contradictionem, DEI naturæ adversentur, ideoq; à DEO produci nequeant,) annumerat illa ex Theologia Lutheranorum (1.) DEUS creatus (2.) Ubiquitas humanæ carnis (3.) caro deificata (4.) oralis manducatio corporis Christi. *Verum nullum horum quatuor contradictionem implicare adeoq; nec esse entia ficta impossibilia, ut impiè vocat Keck. vel ex nudâ eorum explicatione patet (1.) DEVS dicitur creatus non καθ' ἑαυτὴν, ὑσιωδῶς, sed καθ' ἄλλο, ὑποστατικῶς nim. propter unionem personalem, ob quam secundum primum communicationis idiomatum genus unius naturæ proprium prædicatur de alterâ in concreto, e. g. DEVS est natus, DEVS est passus &c. Vnde argumentum, si stylo scripturæ rectissimè sine ulla contradictionis apparentia, DEVS dicitur natus, similiter rectissimè dicetur creatus. Consequuntur n. hæc se mutuo: At prius est, Rom. 1. v. 3. cap. 9. v. 5. E. (2.) Vbi alius atq; alius respectus, ibi expirat omnis contradictio, Keck. lib. 1. Syst. Log. pag. 279. At quando DEVS dicitur creatus & increatus, ibi est alius atq; alius respectus. Increatus n. dicitur per essentiã, creatus per unionem personalem, quâ hominem arctissimè sibi copulavit, & omnia, in quibus non est culpæ ratio, ejus attributa sibi appropriavit. Vide Chem. de duab. nat. c. 13.*

4. II. *Pariter humanæ carni Christi tribuitur omnipotentia ob unionis gratiam & non ob naturæ proprietatem, ut vicissim omnis contradictio expiret ob respectuum diversitatem. Vide Meisnerum in Phil sob. s. 1. c. 4. q. 19. III. Caro Christi dicitur DEificata à patribus, tum quia DEO adunata est, tum quia in consortium divinorum propriorum & ἀνχνμάλων per unionē est ex*

altata

altata. Iterum ergô non per se, sed propter ἕνωσιν ὑποστατικὴν taliter caro appellatur, perinde ac si dicas caro Christi ob unionem æternis & divinis donis exornata est. Vide Chem. de duab. nat. c. 19. & 20. IV. Corpus Christi in cænâ oraliter dicitur manducari, quando illud ORALITER explicatur de instrumento, quo corpus Christi percipitur. Quod n. instrumentum manducationis ipse Christus definivit, illud est verum instrumẽtum. At Christus in verbis institutionis definivit Os hominis per verbum edite, non v. fidem. Vbi n. Istud instrumẽtum definitum à Christo: Inquis Ioh. 6. O bone vir Veterẽ crambem toties profligatam reponis frustra. Si v. exponitur de modo, oraliter corpus Christi negamus manducari. Et ubi tandem hic contradictio? tune limites ponis DEI potentiæ contra ipsius voluntatem, quâ ore nostro corpus suum manducare jußit. Non statim contradictio est, ubi nobis ea videtur: potest n. DEVS περισσῶς ὑπερ πᾶν νόημα ἢ πᾶσαν καλάλυψιν ἡμῶν Eph. 3. Vide Chem. de fund. Cænæ, cap. 5. Mentzerum contra Sadeel. de Sacramentis.

5: P. 43. iterum errorem Sacramentarium *axiomate aliquo Philosophico palliare, & incrustare conatur:* Concreta, inquit sunt collocanda in prædicamentis secundum principalem seu formalem respectum: sic S. Baptismus non est ponendus in substantia aut actione, quia aqua & ejus adspersio est tantum materiale baptismi, formale est sacra relatio in significanda & obsignanda spirituali peccatorum ablutione. Nec sacra cæna inter substantias reponenda propter eandem causam, quia elementa illa externa, panis & vinum, minus principale sunt & materiale tantum cænæ Dominicæ: principale a. & ipsa velut forma est sacra illa relatio ad Christi personam, officium & beneficia. *Resp. (1.) Axioma illud ut verum lubentes admittimus (2.) quod Keck. dicit aquam in S. baptismate: panem & vinum in cæna esse materiale, quoq; verum est, unde nec Sacramenta principaliter locantur in prædic. substantiæ. (3.) quod porro dicit actionem seu aquæ aspersionem in baptismo & consequenter manducationem & bibitionẽ in cænâ esse etiam materiale sacramentorũ, baptismi v. formale sacrã relationem in*

significanda & obsignandâ spiritualis peccatorum ablutione, Cœnæ Dominicæ principale seu formam esse sacram illam relationem ad Christi personam, illud tàm falsum est, quàm quod falsissimum. In relativâ n. istâ significatione formam Sacramentorum non consistere, sed in actione, invictissimè vide probatum apud D. Mentzerum tom. 3. disp. giess. disp. 6. 7. 8. Si ergo formale Sacramentorum est in actione positum, utiq; juxta adductum axioma, Sacramenta in prædicamento actionis erunt reponenda. At prius est. E. etiam posterius.

Quaestio Decima Quinta.

An prædicabilia sint peculij logici seu Logicæ pars essentialis?

THESIS I.

A affirmativâ est Keck. p. 34. Genus & species, inquit, certè sunt notiones secundæ Logicæ, & idcircò necessaria pars artis. *Nobis negativa placet, quam rationibus confirmare æquum. I. Si prædicabilia sunt Logicæ pars essentialis, multò magis prædicamenta erunt. At posterius non est, ut solidè probatum antè. E. nec prius. Connexio antecedentis est, quia prædicabilia propter prædicamenta, ut ex Porphyrio notum est, sunt tradita. propter quod v. unumquodq; est tale, illud magis est tale. II. Si sunt pars essentialis Logicæ prædicabilia, erunt instrumenta vel primæ, vel secundæ, vel tertiæ mentis operationi inservientia. Sed nulli istarum inserviunt E. probo assumptum Tertiæ operationi non inservire puto ultrò daturum Keck. quod v. primæ & secundæ non famulentur inde constat, quod instrumenta primæ & secundæ operationis possint ad Syllogismum referri, id quod de prædicabilibus asseri nequit. Vnde argumentum III. Quod non referri potest ad syllogismum Logicæ pars essentialis non est. Est n. syllogismus finis, à quo primò præcepta mensuram recipiunt. At prædicabilia ad syllogismum non possunt referri E.*

2. *IV. Quod est introductio & præparatio ad rem, ejus illud pars non est, sed per accidens tantum traditur. Atqui prædicabilia sunt introductio & præparatio ad prædic. seu ut alij ad totam logicam. E. non sunt ejus pars*

Minor

Minor probatur testimonio Porphyrij statim ab initio. Dn. Parhisiensium In Isag. Porph. D. Lovanienſium in Com. in Isag. Porph. Pacius in Isag. Porph. p. 4. Ratio Keck. quia prædicabilia sunt notiones secundæ, nihil concludit.

Quaestio Decima Sexta.

An scopus prædicabilium principalis sit, ostendere quæ res aliæ alijs superiores sint, aliæ inferiores?

THESIS I.

Artem aientem defendit Keck. p. 44. Est, inquit, scopus prædicabilium alius primarius pertinens ad primam Logicæ partem, alius v. hinc dependens & pertinens ad secundam & tertiam partem; primarius est, quam definitione expressimus, ut videlicet adminiculo harum notionum Logicarum mente rectè concipiatur & intelligatur, quid sit in prædicamentis superius, quid inferius, quid primum, medium, ultimum. *Rationes addit:* (1.) cum prædicamenta ordines sint rerum, omnis a. ordo includat distinctionem primi, medij, ultimi, necesse fuit tradi organa Logica, per quæ ista in prædicamentis distinctio possit à mente nostra rectè concipi (2.) Hunc scopum primarium innuit Porphyrius statim ab initio Isagoge, cum Chrysaorium, suum monet se ea traditurum, quæ faciunt ad intelligenda prædicamenta. (3.) Jodocus Willichius & Philippus Melanchthon hunc scopum itidem asignant, ex quibus hic pag. 19. suæ Dial. commemorans tres usus prædicabilium, primo loco collocat eum, quod discernant gradus in serie cujusq; prædicamenti.

2. *Hactenus Keck. Contra quem insurgimus I. Is ponendus est principalis prædicabilium scopus, quem Autor eorum primus principaliter intendit.*

dit. At istum scopum, quem Keck. tradit, Porphyrius non intendit principaliter. E. nec iste est principalis finis. Major patet ex natura & ratione finis principalis. Minorem probo: quia universè & pariter de genero differentia, specie, proprio & accidente affirmat, eorum cognitionem ad prædicamentorum intellectum esse necessariam (puta necessitate commoditatis ex interpretamento Parhisiensium Doctrum) ideoq; de ijs se præceturum. Atqui proprium & accidens non faciunt ad cognitionē prædicamentorum prout res in ijs sunt vel superiores vel inferiores. neq; n. directè nec collateraliter prædicamenta ingrediuntur, ipso etiam Keckermanno docente p. 82. Ergo nec istum scopum principaliter intendit.

2. II. Is scopus prædicabilium principalis statuendus, qui non seorsim tantum uni prædicamento est accommodatus, sed qui pluribus & quidem inter se collatis. Ratio est: quia aliàs proprium & accidens frustrà à Porphyrio annumerata fuissent, cum ea ex diversorum prædicamentorum inter se collatione tantum exsurgant: quæ n. in uno sunt prædicamento secundum sub & supra ea omnia essentialia sunt, nec proprij & accidentis respectum admittunt. Alia etiam ratio esse potest, quia prædicabilia faciunt ad prædicationem tam denominativam, quam univocam. Illud vero ex conjunctione diversorum prædicamentorum oritur. Atqui scopus Keck: uni prædicamento tantum est accommodatus. E. nec principalis esse potest. III. Iste principalis prædicabilium scopus est, qui non obscurè in eorum definitionibus maximam partem est insinuatus. Atqui prædicabilia, videlicet Genus, species, differentia definiuntur respectu modi prædicandi. Genus n. non simpliciter definitur quod de specie prædicatur, sed etiam modus prædicandi additur, in quæstione quid est. Ergo principalis prædicabilium scopus est ostendere quomodo res in prædicamentis vel in eodem vel in diversis de se prædicentur.

4. IV. Ex collatione vocum prædicabilis & prædicamenti ita argumentamur, cū utraq; ob usum logicum rebus ipsis sit applicatus: Prædicamētorum vox summis generibus est imposita, quia materia prædicationum ex ijs petitur adeoq; materia prædicationibus jungēda in ijs continetur. Ergo vox prædicabilium iisdem rebus sit imposita, quia modum monstrant res illas prædicamētales jungendi. Vide Crellium l. 1. log. p. 126. Et ut per prædicamēta res in certas classes sunt distinctæ, ita per prædicabilia ostenditur eas vicissim connectendi modus. Est igitur principalis prædicabilium scopus ostendere quomodo res prædicamentales de se invicem prædicentur.

Ad

5, *Ad argumenta Keck. contraria respondemus. Ad (1.) concedendo adminiculo harum notionum simplicum intelligi quidem rerum in prædicamentis superioritatem & inferioritatem, verum an hic scopus earum sit principalis, de eo quæritur, nec probat Keckermannus: Ad (2.) in eo petiprincipium, ut ex propositis liquet. Ad (3.) nos nullius autoritate nudâ teneri. Ab omnibus igitur qui hac in parte Keckermaunum sequuntur modestè nos disentire non diffitemur. Pro meliori a. problematis præsentis notitiâ conclusionis ergô observetur: Rerum ordinem secundum sub & supra tradere & ostendere Metaphysici munus esse. Sicut n. ille rerum distinctionem secundum diversa prædicamentorum Genera proponit, ita quoq; quomodo res in eodem prædicamento sese ordine consequantur ostendit, cum omnia summa genera tamdiu in suas species diducat, donec ad ultimas species in unaquaq; categoria sit deventum. Iac. Mart Exercit. Met. Exor. 2. theor. 7. pag. 45. Nec tamen falsum est merito generis & speciei intelligi quid in quovis prædicamento sit inferius, quid superius licet prædicabilium finis iste non sit architectonicus, uti volebat Keck.*

Quaestio Decimaseptima.

An quatuor tantùm sint prædicabilia?

Thesis I.

Alt Keck. p. 45. Nominis (prædicabilium) angustia duos graves errores in Logicis peperit; ex quibus prior est, quod plerique neglecto primo ac primario scopo, secundum tantum agnoverint &c. alter error est in numero prædicabilium, quod existimatur accidens proprium & commune ad prædicabilia pertinere. Et p. 81. Atq; hæc, inquit, est tota doctrina utilissima graduum prædicamentalium, quos quatuor tantũ esse hosce & non alios cuivis paululum consideranti erit manifestum: Nam quod vulgô quinq; prædicabilia ferantur, libellus Isagogicus Porphyrij peperit errorem &c.

Cæterum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729226964/phys_0081
DFG

2. Cæterum novitatibus his autori domum remißis, quinarium prædicabilium numerum retinendum putamus, cum Dn. D. Parhiensib. in Com. In Isag. Porph. p. 2. Cum Lovaniensibus p. 6. cum Colonienſibus lib. 1. Top. p. 142. pro illo ergo Sic arguimus: Scopus prædicabilium quot requirit & admittit prædicabilia, tot nec plura nec pauciora sunt constituenda. At iste requirit quinq. Ergo tot, nec pauciora nec plura sunt constituenda. Majorem concedit Keck. qui numerum prædicabilium ex primario ipsorum scopo subducendum esse docet ipsius p. 82. Minor probatur, quia principalis prædicabilium scopus est ostendere modum, quo res prædicamentales invicem junguntur & prædicantur. Vnde discursus: Quot sunt modi quibus res in prædicamentis mutuo connectuntur & sibi junguntur, tot sunt prædicabilia. At quinq. sunt modi tales. Ergo quinq. prædicabilia. Minor probatur inductione sic, quia nulla potest adduci propositio, quæ ad quinq. modos videlicet Generis, Speciei, Differentiæ, proprij, accidentis non pertineat & referatur; ut igitur omnis prædicatio sit vel generis de specie vel speciei de individuo, vel differentiæ de specie, vel proprij de subjecto proprio seu necessario vel accidentis de subjecto communi seu contingenti. Si vis, unam quæso producas propositionem, quæ non possit ad quinq. hos modos reduci; sed oportet te naturalem rerum dispositionem servare. Idem probatur à D. Colonienſibus lib. 1. Top. p. 141. ubi distinctionem prædicabilium à modis prædicandi tradunt desumi.

3. Affert a. Keck. tria pro opinione suâ roborandâ fundamenta, quæ robore suo exuere & enervare operæ precium est. I. est, Porphyrium proposuisse sibi quinq. terminos Logicos, non interim dixisse omnes esse gradus prædicamentales. II. Porphyrium quoq. non dixisse, plures non dari terminos, qui in propositionibus prædicentur. Prædicari n. etiam in quarto dicendi modo per se effectum de causâ, partem de toto, ut homo est capitatus, auritus, bipes &c. adjacentia externa de suis adjectis, ut vas est piceatum, miles est galeatus, ocreatus, gladiatus. Nullam etiam prædicationem impropriam ad hæc quinq. prædicabilia reduci posse. Illos insuper qui definitionem prædicationem esse volunt, sextum confinxisse prædicabile, nim. definitionem. III. Scopum prædicabilium tantum quatuor admittere, videlicet genus, speciem, Differentiam, Individuum: proprium v. & accidens excludere.

4. Sed Resp. ad 1. Nec Porphyrium negasse esse quinq. Prædicabilia, nec dixisse reliqua præter proprium & accidens esse gradus prædicamentales.

At

Ab autoritate humanâ negativè nihil concluditur. Keck. lib. 3. pag. 404. Ad 2. fallere argumentum ἀγνοίᾳ ἐλέγχου. Quæstio n. nobis est de prædicabilibus sive quod eodem recidit, de modis prædicandi, Keck. v. de prædicatis assumit: quæstio est quomodo prædicetur, Keck. concludit, quid prædicetur. Sint certè plura prædicata quàm quinq; sint mille modos tamen prædicandi plures quàm quinq; probabis nunquam. Nec est laboris, quæ à Keck. ponuntur exempla ad suos reducere modos. Prædicatio n. effectus de causâ in quarto dicendi modo per se, e. g. Iugulatus interijt; Corpus terræ inter solem & lunam positum efficit lunæ Eclipsin, ut etiam sequentes propositiones, homo est capitatus, auritus, bipes, ad modum proprij pertinet. Non n. propriæ tantum passiones, quæ specificam essentiæ rationem insequuntur, huc pertinent: sed omne quod de subjecto aliquo effertur necessariò, sic tamen ut ipsam essentiam ejus non constituat, præclarè docet Slek. in prælect. log. Quod ipsum de genere & specie pariter admitti debet. Prædicatio adiacentium externorum de suis adjectis, ut miles est galeatus &c. Vas est piceatum, pertinet ad modum accidentis. Non n. attendi hîc, quid prædicetur sed quomodo, ante dictũ est. Licet igitur substantia in his exẽplis prædicetur, quia tamen contingenter prædicatum cum subjecto cohæret, modus accidentis inde pullulat. Ipse etiam Keck. lib. 2. p. 390. vocat contingentes propositiones, item dicit in ijs accidentia communia prædicari. Quod v. attinet prædicationes improprias, illas ad quinq; prædicabilia reduci non posse liberaliter largimur, quia quinq; prædicabiliũ modi logici sunt h. est proprij, á quibus omnis impropria prædicatio exulat, cum nulla impropria logica detur, sicut falsò statuit Keck. lib. 2. syst. log. pag. 391. Definitionem quoq; non posse in numerum prædicabilium recipi, probant D. Colonienses lib. 1. Top. p. 141. ex eo, quia definitio non est simplex sed ex pluribus genere nim & differentia composita. Idem tenet Regius lib. 1. disp. log. prob. 5. p. 172.

5. Cæterum Adamus Raßius in vindicijs Syst. log. Keck. th. 5. κρίσ. part. Keckermanni argumentum hâc ratione non solvi πρόσωπον se demonstrare velle dicit tribus sequentibus munimentis. I. Qualis modò res est, tali etiam modo prædicatur. Atqui pars in toto est non per modum accidentis & reliqua enumerata sunt non per modum accidentis. E. 2. Id quod per modum accidentis prædicatur ducitur è loco accidentis. Partes dum prædicantur de toto, effectus dum prædicatur de causa, adiacentia dum prædicantur de adjectis non ducuntur è loco accidentis. E. 3. Modus prædicationis respondere de-

bet modo unionis prædicati cum subjecto. Atqui diverso modo pars toti unitur, quam accidens subjecto. E. etiam diverso modo pars prædicatur de toto quàm accidens de subjecto. Resp. (1.) ad primi argumenti assumptionem per inficiationem. Pars n. omninò de toto suo, ut & effectus de causâ, adiacentia de adjectis prædicantur per modum accidentis proprij vel communis. Prædicatur a. nobis per modum accidentis ptoprij non tantùm quod proprie tale est, sed omne etiam id, quod necessariò prædicatur, non tamen ut genus, species & differentia. Per modum accidentis communis prædicatur nobis, quod contingenter cum re cohæret, sive accidens sit prædicamentale sive non. (2.) Ad 2. concedendo majorem, eo modo, quo accidens est, & negando minorem, ubi distinctio accidentis prædicabilis & prædicamentalis observanda, quam bonam esse dehinc probabimus (3.) Ad 3. negando minorem hactenus, quatenus & pars & accidens proprium necessariò prædicatur.

6. Quæri insuper solet ad quos modos sequentes pertineant enunciationes, ut homo est sentiens, risibile est homo, Quoddam animal est homo, rationale est sentiens, rationale est animal. Resp. 1. exemplum pertinet ad modum generis: hujus n. differentia prædicatur, quæ cum ipso genere eundem respectum ad speciem habet, ob id, quia generica differentia est. 2. exemplũ propterea non refertur ad Prædic. quia propositio est non naturalis. subjicitur n. id, quod in natura non est subjectum. Aliàs quia est necessarius nexus in hac propositione, posset ad modũ proprij referri. In tertio exemplo similiter est propositio non naturalis. Per naturam n. quod inferius subjici, quod superius prædicari debet, quippe quod latius est, Porphyrius in Isag. c. 2. de specie, aliàs ad modum accidentis posset reduci, cum species generi accidat, ut ante ostendimus. Sed contra secundam & tertiam responsionem excipi potest, quomodo nim. istæ propositiones sint non naturales cum syllogismum & demonstrationem ingrediantur, & v. in demonstratione non sumatur alia prædicatio, quam naturalis, Zab. in lib. 1. poster. Analyt. c. 18. t. 148. Resp. Zabarellam loco allegato loqui de demonstratione potissimâ seu τέλειᾳ, de qua verum est, quod naturalis propositio eam tantum ingrediatur. In demonstratione v. τὸ ὅτι res secus habet. 2. ratione formæ illas propos. esse bonas & propterea Syllogismum posse ingredi. Ad. 4. dicimus ut & 5. (utriusq; n. per ratio) pertinere ad modum proprij ob cohærentiam terminorum necessariam, Iavellus lib. 3. Met. quæst. 2. p. 86. 9. vocat prædicationes accidentales Logicas.

Ad

9 *Ad tertium Keck. argumentum Resp. Scopum istum à Keck. falsò venditari pro primario antè evicimus, unde nec legitimè ex eo prædicabilium numerus supputatur. Quod v. dicit contra rerum ordinem fieri, si scopus ex numero constituatur, Illud non per omnia verum est, præsertim si eo fiat modo, quo à nobis hoc præstitum. Stat igitur nostra thesis: quinq; esse prædicabilia. Vnde sponte efflorescit, falsum esse: quod de angustiâ vocis prædicabilium interpellat p. 44. & 45. & non video quomodo etiam ex sententiâ suâ de vocis angustiâ queri possit, cum potius de ejus latitudine queri debeat; Numerum n. prædicabilium justo latiorem statuit pag. 83. II. quod præstet; appellationem graduum his notionibus logicis esse impositam. Iure n. potiori ex scopo primario alicujus rei appellatio sumitur. III. proprium & accidens nullo suo merito propria patriâ multari h. est, è prædicabilium numero & censu eliminari.*

Quaestio Decimaoctava.

An universalia extra cogitationes hominis sint aliquid in rerum naturâ?

THESIS I.

Cum filum Keckermanni tenere ejusq; ordinem sequi, semel constituerimus, liceat nobis paulum cum eo in amplissimos Metaphysicorum campos & vireta excurrere. A parte problematis aiente stat Keck. qui suæ opinionis fundamentum ex Monlorio in disp. de univers. c. 5. &c. adscribit tale: Duo sunt necessaria ad constituendam naturam universalem, communitas & unitas: utrumq; habet natura universalis ante & citra mentis operationem: Major est in confesso apud omnes; Minor per membra probatur: primò quod natura universalis habeat unitatem, 1. Quia omnis essentia est indivisa. E. & una 2. quia omnia individua fatemur convenire in uno, ut Petrum, Paulum, Johannem in eo, quod sunt homines. Quod v. habent communitatem, probatur ex eo, quia quod multis aptum natum est inesse & revera etiam inest, id est revera commune, ut u-

niversale, ut animal, homo, revera aptum est multis inesse & inest etiam nemine cogitante. *Ergo. Deinde ita probat suam sententiam:* Quicquid perfectè definitur, dividitur, demonstratur, est καθόλου, si ergô universale tantum ab operatione intellectus pendet, omnes definitiones, divisiones, demonstrationes, atq; adeo omnes disciplinas non esse rerum in natura positarum sed merorum tantum conceptuum ac Phantasiarum, absit hæc pestis à disciplinis. Hactenus Keck.

2. *Nobis arridet pars quæstionis negans, quam ut ritè queamus confirmare, ἔκθεσιν τοῦ ζητουμένου præmittemus. Sermo igitur nobis est I. non de unitate formali, quam actu in individuis esse & actu cum ijs multiplicari concedimus. Vnaquæq; n. individua natura in se formaliter est una, propriâ & intrinsecâ unitate formali, quæ non est in alia, quia unaquæq; in se formaliter indivisa est: Sed de unitate universali: Quæ quomodo differat à formali vide Soarium disp. Met. 2. II. non de universali in potentiâ, sed in actu. Est a. universale in actu, difiniente eodem Soario l. a. natura ab omni individuatione abstracta, quæ concipitur per modum unius entis indivisi & communis multis & habentis proximam aptitudinem, ut de illis prædicetur. Vniversale in poteutia est, quicquid non habet actualem universalitatem dicto modo explicatam, præbet a. intellectui fundamentum, ut illam possit concipere. III. Nec de universali Metaphysico abstracto, quod re ipsa à rebus separatum statuit Plato; nec de concreto Physico, quod est universale materialiter. Sed de universali relato Logico, quod definit Aristoteles, ὁ πλείοσιν ὑπάρχειν πέφυκε lib. 5. Met. c. 13.*

3. *His ita constitutis probo thesin I. Vniversale est unum pluribus inesse aptum. At nihil quod est extra intellectum pluribus inesse aptum est. Ergo nihil quod est extra intellectum est uuiversale. Minor probatur: quia omne quod est extra intellectum in rerum naturâ existit: omne quod existit, est singulare: De ratione a. singularis est non posse cõmuniari. Inquis substantias secundas esse in primis, genus in specie, speciẽ in individuo. Resp. naturam cõmunẽ prout in re existit, ita esse determinatã ad unum individuum, ut ad aliud determinari nequeat. Contradictoriè n. sibi opponuntur: esse determinatum ad hoc & esse indeterminatũ ad plura. Nec instantia de materia prima*

hic

hic valet, ut eleganter ostendit Suaretz. Est ergo substantia secunda in prima: est genus in specie, est species in individuo sed restrictè & non universaliter. Quamprimùm n. universale actu divisim multiplicatur, abit in naturam determinatam, in unitatem formalem. II. Oppositorum opposita est ratio, & simul coexistere nequeunt. Singulare & universale sunt opposita. Ergo si singulare quatenus tale, est in rerum natura omni intellectus operatione circumscripta, universale quatenus tale oppositò modo se habebit, & tantum per operationem intellectus erit: nec insuper universale cum singulari coexistere poterit. III In rebus non est alia unitas, quam numerica & formalis. Sed hæ duæ ad unitatem universalem constituendam non sufficiunt. Non numerica, quia illa contradistinguitur unitati universali, & hæc illi nequaquam convenire potest: nec formalis, quia ea indifferenter se habet ad unitatem universalem & numericam.

4. Falsum proinde est, quod Keckermannus dicit & unitatem & communitatem (quæ duo ad universale requiruntur) citra mentis operationem naturam universalem habere. Ad argumenta ejus Resp. Ad (1.) ex eo nihil sequi. Vniversale n. est unum, adeoq; indivisum. Vnde contra Keckcolligimus. Si universale est in rebus ante cogitationes humanas erit in uno vel in singulis individuis. Non in uno. Ergo in singulis. Si hoc, universale erit divisum, abijt in multa, nec amplius erit unum. Ad (2.) unitatem istam, in quâ Petrus, Paulus &c. conveniunt, non esse revera talem, quandoquidem Petrus propriâ & intrinsecâ unitate unus est, item Paulus. Et unitas, quâ Petrus unus est, distincta est ab unitate, quâ Paulus est unus, ut notum est, quia tamen natura humana, quæ in Petro est specie & definitione eadem est cum natura humana, quæ est in Paulo, propterea Petrus & Paulus dicuntur esse unum seu convenire in uno, Quæ tamen unitas vera non est, sed similitudo. Nec hic moramur, quod similitudinem accidentibus & quidem qualitatibus propriè tribui, ajunt, non v. substantijs. Esto hoc, substituant aliud vocabulum, si suppetat, vocent identitatem, vocent unitatem, modo teneant, in re unitatem tamen non esse, cum omnis unitas in indivisione cernatur, illa tamen, quæ una hâc ratione dicuntur, realiter sint divisa & multa.

5. Ad 3. esse falsissimum. Actu n. multis ineſſe cum naturâ universali pugnat. Est n. universale reipsâ indivisum. Re ipsâ v. indivisum esse & simul esse actu in multis, hoc est, actu divisum, involvit repugnantiam Arist. 7. Met.

cap. 14. Deinde Si unitas naturæ universalis, ut universalis est, multiplicatur in inferioribus, multiplicatur unitas specifica in individuis (Suarezy sunt verba ex. l. d.) vel generica in speciebus, quod est impossibile, alioqui & plures homines essent plures species, & unusquisq; eorum haberet in se unitatem universalitatis, & consequenter unusquisq; erit unus universaliter, sicut est unus formaliter, quod est plane falsum. Ad 4. Resp. Res ipsas, quas universales denominamus, esse extra intellectum, & de ijs esse omnem definitionem, divisionem & demonstrationem, non quatenus sunt universales formaliter, homo n. non definitur quod sit unus multis inesse aptus, sed quatenus stant & repræsentantur sub modo universali. Vide Clar. Iac. Martin. in Exer. Met. Ex. 8. Theor. 8. De hâc controversiâ, qui plura volet scire, videat Suarezium in Metaph. disp. 6. allegata, ubi & Fonsecæ opinionem ab hâc nostrâ diversam lib. 5. Met. cap. 28. solidè refellit.

Quaestio Decima nona.

An Genus perfectum obtineat naturam quandam distinctam à suis speciebus?

THESIS I.

NEgat Keck. p. 59. Vbi talem ponit Canonem: Genus imperfectum non obtinet naturam quandam omninò distinctam à suis speciebus. Et in hanc rem adducit regulam scholasticorum. Analogum quod dicitur ab uno, non significat naturam aliquam diversam ab analogatis, sed proximè significat omnia analogata, unum tamen principaliter, alterum v. prout pendet ab alio. Hoc canone adductus Keck. in Metaphysicâ suâ mancâ & mutilâ, ubi de ente agere debebat, statim de substantiâ agere incipit secutus Averoem 2 tractatu Epitomes. Hic n. 12. Met. t. 21. 22. negat Ens importare conceptum distinctum à substantia & accidente.

2. Cæterum contrariũ nos tuemur unico argumento ab exẽplo Entis, quod genus imperfectum seu analogicum respectu substantiæ & accidentis esse, ipse Keck.

Keck. tradit pag. 28. ducto, sitq; tale: Si Entis conceptus tam objectivus quam formalis omninò est distinctus à conceptu substantiæ & accidentis, utiq; genus analogicum seu imperfectum (ut appellitare mavult Keck.) habebet naturam omninò distinctam à suis speciebus. At verum est prius. Ergo & posterius. Assumptionem Lavellus lib. 4. Met. q. 1. tribus probat argumentis, quoad conceptum formalem. Nos breviter sic. (1.) quia possumus concipere Ens & tamen dubitare, an sit substantia & accidens, quod contingere non posset nisi Ens ab his conceptum planè distinctum notaret (2.) Quod habet affectiones per se omninò distinctas ab inferioribus, ejus essentia est planè distincta. At Ens habet adæquatas suas affectiones, quæ per se & universaliter de alijs rebus non dicuntur nisi propter Ens. E. Ens habet omninò distinctam naturam à substãtia & accidente. De conceptu objectivo idem probant Metaphysici (1.) quia objecta exterua sunt mensura nostræ cognitionis & conceptuum in animâ, ideoq; conceptus formalis debet convenire cum objectivo, & vice versâ; aliàs intellectus noster deciperetur. (2.) quia omnia entia in unâ naturâ nim. in ratione essendi conveniunt. Ergò per eam rationem rectè concipi possunt. Fonseca 4. Met. cap. 2. q. 2. sect. 3. qui à nobis dissidet, trifariam distinguit formalem Entis conceptum, ita ut unus sit omninò distinctus, alter omninò confusus, tertius partim distinctus partim confusus. Verum hujus distinctionis ἀδεννότητα pulcrè demonstrat Soarius in Met. Disp. 2. s. 1. d. 5.

Quaestio Vigesima.

An Genus possit conservari in unâ specie?

Thesis I.

Negat Keck. p. 56. 64. Genus non potest conservari in unâ specie, at species infima potest in uno individuo. Nos affirmamus cum Scheiblero lib. Sent. Disp. 17. p. 307. Argumenta producimus tria: 1. Species potest conservari in uno individuo. Ergo etiam Genus in unâ specie. Assumptio probatur: Nam etsi differẽtia generis & speciei benè longa sit & lata, cum (1.) species sit tota individui essentia, genus v. speciei tantum ceu pars (2.) genus dividatur per differentias oppositas in species, hæc v. in individua per divisionem materiæ ad naturam suam accommodatæ, Arist. 10. Met. cap. 9. tamen ea nihil

hil contra nos, præsertim cum in differentiæ hujus contrario non locemur causam, cur genus possit esse in unâ specie, in eaq; conservari. Est ergo hic utriusq; ratio par, similitudo & convenientia.

2. II. Genus æqualiter speciebus communicatur ita, ut nihil dici possit de genere, quin idem de qualibet specie dicatur. Iac. Martin. lib. 1. Instit. log. p. 36. Keck. lib. 1. Syst. log. p. 55. Hinc ratiocinatio. Si genus communicatur speciebus ex æquo & de qualibet specie dicitur, utiq; cuilibet illud speciei inerit, idq; actu, quia actu communicatur, ut scribit Keck. p. 55. At prius est. Ergo & posterius. Iam propero. Genus actu in 1st species: Ergo ὁμοίως vel μερικῶς: non modo hoc, est. n. generis essentia ἀμέριστον τι καὶ ἐν ἀλλήλοις. Ergo ill. Ergo posito, omnes animalis species, una saltem manente, esse sublatas, in una illa specie relicta, integra tamen natura animalis erit conservata.

3. III. Vniversale potest esse uno tantum dato & existente individuo. Ergo & genus, quia universale est. Sive n. ponas universalia esse in rerū natura ante intellectus operationem, vel tantum per intellectus operationem, fieri, neutro modo argumento nostro infertur detrimentum: si n. ex parte rei in natura sunt, oppidò pro nobis hoc facit: sin v. tantum intellectus operâ fiunt, & tùm per hoc stat argumentum. Potest n. universale ab uno abstrahi individuo, ut exemplo solis est clarum: & quid nî posset, cum fundamentum hujus abstractionis in unoquoq; reperiatur individuo.

4. Contra infert Keck p. 56. Quod perficitur determinatione oppositarum differentiarum, illud ad minimum duo ad sui perfectionem requirit. Oppositio n. subinfert pluralitatem. At genus perficitur determinatione oppositarum differentiarum. Ergo ad minimum duas requirit species. Eodem quoq; argumento ex sententia Thomæ contra Aegidium utitur Iacobus VVerenb. in Exercit log. p. 360. Sed Resp. De ratione generis non esse, ut per oppositas actu ipso secetur differentias. Probo: quia genus concipi potest absq; illa actuali divisione. Sufficit ergo ad generis essentiam ratio quædam communis speciei superior, conjuncta cum non repugnantia divisionis Et sic intellecta definitio generis apud Arist. lib. 1. Top. c. 4. ejus autoritas nobis nihil officit; imò secundum potentiam intelligi & explicari debere vel inde patet, quod verba in definitionibus juxta actum primum & non secundum sint intelligenda, ut docent Logici, Et peculiariter hoc de definitione generis tradunt Lovanienses In Isag. Porp. p. 10. Potest ergo genus in

unâ

una specie conservari: cujus causa una hæc sola & vera, quod genus à qualibet suâ specie absorbeatur totum. Et reale hujus rei exemplum in sapientia & prudentia extare putant alij: Sapientiam n. genus Metaphysicæ, prudentiam v. Philosophiæ moralis genus statuunt.

Q. Vigesima Prima.

An individuum prædicari possit?

THESIS I.

Hanc quæstionem decidit Keck. sic p. 65. Si vocem prædicabilium more scholasticorum sumas pro ijs, quæ prædicati loco in propositione poni possint, jam res liquida est, individuum prædicabile non esse; sin verò primarium hujus doctrinæ scopum & naturam respicias, & quæras utrùm inter gradus ordinis prædicamentalis individuum referri debeat omninò affirmandum id fuerit. Nec leve est erratum illorum logicorum, qui de individuo nihil in logicis tractant, cum hujus termini seu instrumenti logici usus sit non exiguus in Philosophiâ & Theologia, ut manifestò apparet in doctrina de personâ & officio Christi. *Hactenus Keck.*

2. *Sed circa hæc notandum. (1.) Individuum prædicabile non esse, cum omne prædicabile sit universale. (2.) Individuum nihilominus prædicati loco poni posse dupliciter. (1.) in identicis, ut hic homo est Petrus. 2. in negatis, ut Petrus non est Iohannes, licet utraq; prædicatio tantum sit inartificialis. (3.) Keckermannum confundere iterum prædicatum cum prædicabili. Individuum certè prædicati loco ponitur, sed prædicabile non est (4.) scopum hujus doctrinæ primarium non esse in gradibus seriei positum, ut antè dictum, probatum. (5.) Individuum non esse instrumentum logicum etiam spectatum prout est notio secunda. Non n. est syllogismus, nec ullo modo refertur ad syllogismum. Et si individuum debet disponi per instrumenta logica, ut Keck. dicit p. 36. quomodo ipsum erit instrumentum logicum? Et si singularia tantum per accidens indisciplinis realibus considerantur, individu-*

am

um quoq; quod illis tanquam notio secunda (si talis est) imponendum, per accidens tantum tractabitur in Logicis, & per accidens tantum erit instrumentum logicum. Imò totam prædicabilium doctrinam per accidens tantum in logica tradi antè docuimus. Vndè argumentum. Quod per accidens tantum in aliquâ traditur disciplinâ, illud salva ejus integritate sine errore omitti potest. Atqui individuum taliter se habet. E.

3. (6.) igitur falsò illos arguit errati non levis, qui de indlviduo in Logicis tractationem suscipiunt nullam. Et qualis ratio hæc: Individui usus est & in Philosophia & in Theologia. Ergo de eo in Logicis debet tractari. Ratio certè Keck. indigna. Quasi n. omnia, quæ in ijs usum habent per caput pedesq; in Logicam præcipitanda. Et ἓν παρέδῳ hic notari potest: individuum ut non est prædicabile, ita nec definibile esse, quod quidem perperam statuit Ioh. Hesselbeinius in Theor. Log. cap. 7. quæst. 6. p. 443. Individua enim quæ sub eâdem specie infimâ continentur, etsi non definiuntur proprijs ac peculiaribus definitionibus essentialibus, sed communi tantum totius speciei, describi tamen solent proprijs quibusdam explicationibus traditis per accidentia, quibus inter se distinguuntur. Verba sunt Fonsecæ ad lib. 5. Met. Arist. c. 6.

Q. Vigesima Secunda.

Tractatio de personâ ad quam pertineat disciplinam?

THESIS I.

KEck. tractationem de persona generalem Logicæ dicit vernaculam esse p. 72. quia in nullâ alia disciplinâ tradi possit. *Verum & assertio ipsa & ratio pro ea est falsissima, quod probo: (1) Nihil, quod est in censu Entium realium & notionum primarum subit contemplationem logicam καθ' αὐτὸ. At persona est vox intentionis primæ, notat n. id quod rei ex suâ naturâ omni intellectus negotiatione demptâ competit. Ergo persona etiã ejusq; tractatio logicam contemplationem nequaquam subibit. (2) Cujus est tradere doctrinam de toto, ejus etiam est tradere species totius. Genus n. & species si sub eodem considerandi modo concludantur, ejusdem sunt scientiæ, Arnis.*

in

in notis Crell. pag. 63. At Logici non est sed Metaphysici tradere doctrinam de toto, quia est affectio Entis. E. ejusdem etiam est agere de totius speciebus. At v. individuum est species totius. Ergo de individuo quoq; agere debet Metaphysicus.

Q. Vigesima Tertia.

An numerus prædicamentorum denarius strictè sit observandus & retinendus?

THESIS, I.

Numerum prædicamentorum quod attinet in eo assignando papæ quam variant Doctores. Alij n. unum tantum esse prædicamentum statuunt, alij quatuor, alij sex, alij novem, alij decem, alij undecim, alij duodecim, de quo sententiarum divortio videri poterit Fonseca lib. 5. Met. cap. 7. q. 2. s. 1. & seq. Keckermannus numerum prædicamentorum denarium strictè non esse computandum censet: Aristoteles, inquit, hunc numerum retinuit multis in locis lib. categ. c. 4. 1. post. c. 18. 1. Top. c. 9. & alibi, nescilicet nimis in vestibulo philosophię offenderet discipulos Pythagoræ, alioquin & Platoni (qui in Parmende quoq; decem prædicamenta tradidit) adhuc plus satis addictos, & qui novitate offensi fortè ejus auditorium deseruissent, interim tamen satis probavit eum se numerum non ita strictè ac severè computare: siquidem illa quatuor ultima prædicamenta ita leviter perstingit, & verius tantum enumerat, quam tractat, & 5. Phys. c. 9 numerat tantum sex, reliqua omittens.

2. *Cæterum nos decem prædicamenta strictè esse retinenda putamus I. ob autoritatem Arist. qui tot numeravit. Nec præjudicare hic cuipiam debet, quod alibi Arist. pauciora recenset, sit n. hoc, quia in istis locis non ex professo sed incidenter tantum de ijs agit. II. Quot dantur entium genera distincta, tot dantur prædicamenta. Cur n. prædicamentorum numerum ex*

scopo non subducamus, cum ille inter omnes constet? Atqui decem tantum dantur entium distincta genera. Ergo quoq; tot prædicamenta. Alij aliter hunc numerum ostendunt; verum vix obtinebunt, quod intendunt, cum maximam partem per divisionem hoc facere conentur. Divisio n. nihil probat, ut docet Arist. 1. prior. c. 31. De totâ re ita habendum: probari rectè numerum prædicamentorum posse, non v. demonstrari, cum species sub genere suo non demonstrentur, Iac. Mart. lib. 2. Exer. Met. 9. th. 2. p. 952. Quod Keck. ex eo, quia Arist. paucis tantum de ultimis quatuor prædicamentis agit, vult inferre, non esse strictè retinendum istum numerum, illud fit sine ulla consequentiæ necessitate, committiturq; fallacia causæ. Ratio n. ejus rei est, ut Regius lib. 2. disp. log. prob. 7. pag. 519. docet, quod hæc posteriora omnina ex prioribus dependeant & propterea, qui ista 4. intelligit, ille etiam facile hæc posteriora percipiat.

Q. Vigesima Quarta.

An accidentis distinctio in prædicabile & prædicamentale sit bona?

THESIS I.

Keck. pag. 89. atro eam notat calculo. Ita n. scribit: Vulgus accidens latissimâ significatione sumit pro omni eo quod ad rem accedit, aut ei adhæret, ita cum quid unguento aut pice illitum est, aut inauratum, unguentum, picem, aurum dixerunt ejus accidens: & reperti sunt ex logicis, qui hoc accidens vocarent prædicabile, cui opposuerunt verum accidens modo definitum, quod vocarunt prædicamentale, ita nim. notionem primam per terminorum logicorum differentias diviserunt, perperam transferentes differentias de genere in genus, simulq; illam accidentis catachresin à vulgo invectam ad terminos artis detorserunt. *Sed recte ob hoc Keck. vicissim notatur à Clarisc. Gießensibus Finckio part. 2. Sched. f. 22. p. 187. ubi pessimè istam divisionem à Keck. contra Arist. negari asserit: Scheiblero in lib. sent. Exercit. 5. p. 91.*

Nos

2. *Nos veritatem hujus distinctionis probamus ex eo, quia in ipsa re radicem & fundamentum habet. Id quod exemplorum quorundam inductione patet: homo est risibilis, homo est albus, albedo est color, poculum est inauratum. Quæro hîc, qualis sit in positis enunciationibus subjecti & prædicati affectio, necessaria ne an contingens? In tribus exemplis prioribus accidens prædicari vides. Sed alia in primo, alia in secundo, alia in tertio subjecti & prædicati dispositio est: in primo n. prædicatum subjecto est ἐνυπάρκτως adeoq; in secundo modo dicendi per se. In secundo est ἐνυπαρκτῶς ideoq; in primo dicendi modo per se. In utroq; v. dispositio est necessaria licet non pari necessitatis gradu. In tertio deniq; exemplo prædicatum subjecto plane est contingens & in primo modo per accidens. In exemplo ultimo, id quod prædicatur est substantia, sed planè contingenter cum eo, de quo dicitur, cohæret. Quod ergo taliter cum subjecto suo cohæret, id accidens prædicabile dicitur & est contradistinctum cæteris quatuor prædicabilibus, (non simpliciter accidenti prædicamentali, ut putat Keck. quia quoddam accidens prædicamentale etiam prædicabile est) vagaturq; per omnia prædicamenta adeoq; substantia hoc modo accidens dici potest. Accidens v. prædicamentale est, quod in novem prædicamentis per genera & species est dispositum, sive id necessariò sive contingenter subjectum afficiat, nec ullâ ratione substantiæ attribui potest. Latius ergo patet prædicabile accidens, quàm prædicamentale. Quæ differentia in reipsa satis est aperta, quid ergo juvat eam ob vocabula allatrare? Deinde eximius hujus distinctionis usus est in Theologiâ & potißimum in loco de peccato originis contra Illyricum, ut Theologiæ Tyrones norunt ad unguem; Vnde vel propterea explodenda non erat.*

2. *Ad contraria argumenta Resp. Ad (1.) Non esse divisionẽ hanc generis in species nec analogi in sua analogata, sed æquivoci in sua æquivocata. Quis v. sanæ mentis unquã negavit, vocẽ πρώτης ἐπιθέσεως ambiguam, non posse distingui per voces δευτέρας ἐπιθέσεως? Neq; n. ista distinctio unius generis est per oppositas differentias essentiales, ut putat Keck. has n. de genere in genus non esse transferendas, notum est. Et nihil est vulgatius substantiam dicere prædicamentalem, item relationem prædicamentalem ad differentiam substantiæ absolutè acceptæ, & relationis transcendentalis. Ad 2. vocis alicujus utilem & necessariam distinctionem, quæ in ipsa re radicatur,*

Catachresin appellare, valde est insolens. Pejus v. est, distinctionem aliquam à vulgo invectam asserere, quæ ipsum Philosophum, si non inventorem, certè tamen assectam habet.

Q. Vigesima Quinta.

An actio & passio sint prædicamenta absoluta?

THESIS I.

Keckermannus p. 59. Accidens, inquit, absolutum est, quod naturam habet absolutam, estq; quantitas, qualitas, actio, passio. *Contra: Vt se habet agens ad patiens, ita actio ad passionem. At agens ad patiens se habet, ut ad hoc ordinem involvat seu id respiciat. Ergo actio ad passionem similiter se habebit. Ratio majoris est manifesta, quia Agens per actionem formaliter constituitur. Minor vel inde liquet quod se mutuo ponant, mutuoq; definiantur. Hinc ipse Keck. passio, inquit, est actionis receptio p. 108. Actio est applicatio agētis ad patiens, Philippus lib 1. Dial. Sequitur ergo ex his actionem & passionem non esse prædicamenta absoluta, cum naturam habeant non absolutam simpliciter sed respectivam. Interim aliquâ ratione naturam absolutam habere negari nequit, quæ tamen talis est, ut cum relatione & ordine sit conjuncta, quæ & ipsa vera relatio non est, quia agens ad patiens non refertur ut ad terminum, sed ut ad subjectum. Vnde vulgò & communiter prædicamenta absoluto-relata nuncupari consueverunt.*

Q. Vigesima Sexta.

An quantitas sit Genus synonymum respectu magnitudinis & numeri?

THESIS I.

Zabarella *in comment. lib. 1. post. analyt. t. 40. p. 727. item t. 24. p. 786. & 787. negat, & ex Averrois mente ne quidem analogicum sed plane æquivocum genus esse statuit, rationibus in medium adductis non paucis. Crellius lib. 1. Log. pag. 95. putat esse genus analogicum*

analogicum. Fonseca cum Zabarellâ facit lib. 5. Met. c. 13. quæstione 4. integrâ. Regius lib. 2. disp. log. prob. 4. p. 434. ita hanc litem dirimit, ut putet, secundum opinionem Arist. vulgo receptam, Quantitatem respectu continuæ & discretæ Quant: genus univocum dici posse, non v. secundum rei veritatem. Hos sectatur Keck. p. 90. Hæc, inquit, descriptio sufficit logico huic instituto, præsertim cum quantitas etiam genus synomymum non sit & magnitudo ac numerus una aliquà generali distinctà notione non contineantur, ut Zab. ex Arist. & Averroë monet, & facilè hoc apparet, quia magnitudo propriè inest soli corporeæ substantiæ, numerus v. etiam spiritibus & accidentibus tribuitur.

2. *Cæterum malo hic Thomam sequi, qui prima part. quæst. 11. art. 1. & 2. quæst. 30. art. 3. Quantitatem genus univocum esse statuit. Ad hanc v. sententiam tuendam non utar argumento isto, quod ab univocatione summorum generum mutuantur alij, licet Zab. l. a. eo permotus statuat, Quantitatem inter prædicamenta ab Aristotele relatam tantum ex sententiâ aliorum, quod tamen falsum esse ex eo inclarescit. quia quantitas distinctum dicit Ens à reliquis Prædicamentis. Vnde ei peculiare quoq; prædicamentum jure fuit assignandum. Nominales quidem substantiam & quantitatem pro iisdem habuerunt, sed decepti illi sunt similitudine, quæ his duobus intercedit non exigua. Et sanè si eadem essent substantia & qnantitas, utiq; sine ullâ contradictione, quæ de uno, etiam de altero, verificarentur, quod tamen est absurdissimum. An n. substantia alia continua alia discreta? An omnis substantia extensa? Apage te istis nugis.*

3. *Vnum tantum argumentum pro thesi roboranda adduco, idq; facilè palmarium: Quæcunq; conveniunt attributis æqualiter participatis, illa in univoca generis ratione conveniunt. At quantitas continua & discreta ita cõveniunt proprietatibus æqualiter perticipatis. E. conveniunt in genere synonymo. Major patet, quia attributorũ communicatio imitatur essentiæ cõmunicationem. Æqualis ergo istorum communicatio hujus æqualem cõmunicationem insinuat, infert, arguit. Minor probatur, quia 1. esse majus, esse minus, 2. esse æquale vel in æquale de magnitudinibus & numeris prædicantur ex æquo, & tu si potes, tenta & ostende contrarium.*

4. *Argumenta*

4. *Argumenta quæ pro adversâ sententia à Zab. & alijs proponuntur, refellere, nimis foret prolixum, nec nostri id fert instituti ratio. Rejciemus ergô in ipsum συμφιλολογίας actum eorum refutationẽ. Quod. v. Keck. affert argumentũ, nimis elumbe est, cum Spiritibus numerus propriè nequaquã attribuatur, idq; probo ex Arist. 3. Phys. c. 7. ubi numerum ex quanti continui divisione prodire docet. Ex quo argumentor: Quæ res non sunt quantæ, eædem numeri non sunt capaces. Angeli non sunt quantæ. Ergo nec numeri susceptivi. Minorem intelligas oportet de quantitate prædicamentali. Quantos n. esse angelos quantitate intelligibili cum Scalig. Exerc. 359. s. 3. fatemur: intelligit n. intellectus noster in ijs unam partem, quæ non sit alia. Eodem argumento evincitur etiam accidentibus propriè numerum non competere: Quanta n. nequaquam sunt. Interim tamen angelis & accidentibus secundum analogiam numerum ejusq; affectiones attribui posse, damus. Alij numerum distinguunt in transcendentalem & & quantitativum; Illum entibus multiplicatis multiplicari adeoq; cum Ente converti dicunt, quiq; rebus à materiæ concretione liberis attribuatur: Hunc, qui rebus corporeis tantum competat. Verum distinctio tantum est, & numerus ita dictus transcendentalis nihil minus est, quam numerus propriè dictus, transeat ergô illa.*

Q. Vigesima Septima.

An magnitudo rectè dispescatur in completam & incompletam?

THESIS I.

Affirmativam tenet *Keck. p. 91.* In tabula hujus prædicamenti, ait, divisimus magnitudinem in completã & incõpletã seu partialem: Incõpleta magnitudo est longitudo & latitudo: completa est profunditas seu trina dimensio, quæ ex illis constat & q. componitur. *Fonseca lib. 5. Met. cap. 13. q. 6, s. 8. lineam & superficiem entia incompleta esse negat. In cujus negationis gratiam producimus argumenta. (1.) si linea & superfices sunt magnitudines incompletæ, erit hoc vel in toto genere quantitatis vel respectu corporis. Non illud, quia perfectam & integram*

revera extensas habent. Hinc argumentum: Quod definitionem magnitudinis integrè participat, illud incompleta magnitudo rectè dici nequit. At longitudo & latitudo integrè magnitudinis notionē participant. E. Et hactenus nobis adstipulatur Soarius Disp. Met. 40. s. 6. d. 6. Neq; hoc: Id quod probo: Si linea & superficies respectu corporis seu profunditatis sunt entia incompleta, habebunt se ad id tanquam potentia ad actu m adeoq; corpus constituent. At hoc est impossibile. E. Assumptio probatur: Species contradistinctæ suæ speciei constitutionem non ingreditur, nec se ad eam habet ut potentia ad actum. An n. homo leonis ingreditur essentiam? At linea & superficies sunt species contradistinctæ corpori. E. ejus essentiam non ingrediuntur. Inquis, corpus tamen non est absq; linea & superficie, quia eis indiget ad suarum partium continuationem & terminationem; Ad hoc Fonseca q. a. s. 2. & 8. negatè respondet, statuens esse accidentia quædam terminantia quæ abesse & adesse possint ab eis, quæ terminantur. Verum Suaretz divortium facit á Fonseca l. a.

2. Quicquid sit, esto, corpus necessariò includere lineam & superficiem, fit tamen hoc tantum præsuppositivè & materialiter, non v. formaliter. Vnde nobis hoc manet, lineam & superficiem, quatenus tales sunt, quatenus magnitudinis species sunt, corpus formaliter non ingredi: peculiaris n. ratio extensionis est in linea, peculiaris & distincta à linea in superficie, peculiaris & distincta à linea & superficie in corpore. II. Quicquid de aliquo singulari prædicatur in quid, illud est ens completum. Dd. Comm. ad lib. Categ. cap. 4. q. 2. art. 2. ex Arist. lib. 5. Met. c. 8.] At linea & superficies de singularibus prædicantur in quid. E. Interim alio atq; alio respectu idem Ens posse dici completum & incompletum cum Soario non imus inficias. Ideoq; lineam & superficiem, quatenus materialiter in corpore includuntur, si quis entia incompleta appellitare velit, iste suo hic abundet sensu, modo nobis hoc linquat, nim. quatenus species sunt contradistinctæ, corpus ab istis formaliter non constitui, & hactenus magnitudines incompletas non esse.

Q. VIGESIMA OCTAVA.

An qualitates recipiant magis & minus?

THESIS I.

Solis, inquit Keck. p. 97. qualitatibus hoc per se ineſt (*videlicet intēdi & remitti*) teſte Ariſt. Recipiunt a. non ratione eſſentiæ ſeu definitionis, quę nullibi variatur, ſed ratione ὑπάρξεως ſeu ſingularis inhæſionis in hoe vel illo ſubjecto &c. *Circa hæc noto.* (1.) *recipere magis & minus eſſe proprietatem talem, qua gaudent primæ & tertiæ ſpeciei qualitates, non v. ſecundæ & quartæ, Soarius diſp. Met. 46. ſ. 2. d. 10. DD. Colon. lib. 1. Top. p. 144. Ratio eſt, quia quicquid intendi & remitti poteſt, id habeat latitudinem quandam graduum vel radicationem in ſubjecto. Intentio n. eſt creſcentia formæ accidentalis ſecundum eſſe vel in ſubjecto vel in aliquâ ejus particula: Remiſſio. v. eſt decreſcentia alicujus formæ accidentalis ſimiliter. Et creſcentia illa intelligenda eſt vel ſecundum firmiorem radicationem, vel novorum graduum eſſentialium acceſſionem. Iam v. hoc non competit ſecundæ & quartæ qualitatis ſpeciei: ſed cæteris duabus.* (2.) *Qualitates primæ & tertiæ ſpeciei pari modo non intendi & remitti. Primæ n. intenduntur non graduum formalium novâ acceſſione ſed tantum firmiore radicatione in ſubjecto. Patet hoc in omnibus habitibus, præſertim in virtutibus, quæ ſi pauluū à mediocritate declinent, tales eſſe deſinunt, & in vitiorum caſtra abeunt. Tertiæ v. ſpeciei qualitates graduum eſſentialiū additione intenduntur, ut qualitates primæ. Itaq; non tantū reſpectu ſubjecti ſeu ὑπάρξεως, ut contendit Keck. ſed & ratione ipſius entitatis ſeu eſſentiæ. Si n. in ipſa entitate ſuâ non haberent majorem vel minorem perfectionem utiq; magis vel minus ſubjectum afficere nequirent. Nam quantum habent de Entitate, teſte Soario diſp. Met. 46. ſ. 1. d. 35. tantum habent de aptitudine ad afficiendum ſubjectum. Et poſito, calorem divinâ virtute eſſe ſeparatum à ſubjecto, an tu negabis eum intendi vel remitti poſſe eadem potentiâ ſupernaturali?*

2. Nec eſt, quod nobis opponas Philoſophum, qui 8. Met. c. 3. eſſentias rerum dicit conſiſtere ἐν ἀτόμῳ. Porphyrium, qui c. 3. de diſſ. ſcribit τόδε εἶναι ἑκάστῳ ἐν ᾧ τὸ αὐτὸ ἅπαξ ἄνεσιν ἅπαξ ἐπίτασιν ἐπιδεχόμενον ἐστι. Scaligerum qui Exercit. 26. ſ. 3. Si eſſet, inquit formarum intenſio, & quidditas ipſa gradus haberet, quod tot locis ab Ariſtotele confutatum eſt. Reſp. n. cum Soario l. a. d. 12. Eſſentiam eſſe in indiviſibili & non eſſe. In indiviſibili

eſt

est, quantum ad partes essentiales ut essentiales sunt, & per genus & differentiam explicari possunt. Et sic tam essentialiter perfectus est calor, ut unum, ac ut octo. Divisibilis v. est essentia, quantum ad entitatem ipsius essentiæ & q. integritatem ejus attinet. Et hanc responsionem esse veram ex eo notum est, quod Arist. dicit rerum essentias esse in indivisibili, ut numerus. Iam v. numerus e. g. quinarius componitur ex mutis unitatibus, & tamen in indivisibili est, quia essentia quinarij tot unitatibus ordine collectis constat, nec istos limites egreditur. Dicuntur ergo rerum essentiæ esse ἐν ἀλόμῳ quia certis terminis eæ sunt limitatæ quos egredi non possunt, & manere nihilominus eædem essentiæ. Quinarius n. per additionem unius unitatis desinit esse quinarius & abit in numerum specie à se distinctum.

Q. Vigesima Nona.

An doctrinæ Methodo & dexteritate habitui rectè præmittatur potentia naturalis?

THESIS I.

Affirmativam defensitat *Keck. p. 97.* Etsi, ait, bimēbri divisione uti potuissemus, & potentiam naturalēita ut natura rerū videtur pōstulare, præmittere habitui, quod tamen utrumq; quia doctrinæ methodus ac dexteritas requirebat, in tabulà qualitatis fecimus &c. *Contra: Doctrinæ methodus & dexteritas in eo est posita ut non à naturâ rerum sed à notioribus nobis progrediamur: Vt Zabarella ex Aristotele in libris de Meth. & Apol. contra Piccol. in Comit. Polit. egregiè demonstrat. Vt infelix Keckermannus meritô censeatur, qui Piccol. hac in parte cantum canit lib. 3. Syst. log. pag. 585. At habitus nobis est notior quam potentia naturalis. Ergo methodi dextritate habitus tractatio præmitti debet tractationi de potentiâ naturali. Minor probatur: I. quia omnis actus potentiâ suâ est notior. At habitus in συγκρίσει ad potentiam habet rationem actus. E. II. quia effectus est notior causâ. At habitus est effectus potentiæ: per potentiæ n. agitationem frequentem producitur. E. Deinde quis peripateticæ disciplinæ candidatus, ut Scaligeri linguâ loquamur ex Exercit. 23. s. 1. p. 108. æquo id animo patiatur, quod Keck: hâc*

suâ novitate ipsum veritatis & dexteritatis præceptorem Aristotelem ἀμεθοδίας non obscurè insimulet? An ejus Alumni hoc ferant? Absit à grato discipulo ei ἀλαξίας vitium imputare, qui optimus ordinis artifex.

Q. Trigesima.

An bona sit definitio habitus?

Thesis I.

Keck. pag. 97. *habitus definitionem exhibet nobis ejusmodi:* Habitus est qualitas in hominem introducta, quà ad eas operationes est habilis, quas per naturam solam edere non potest. *Bonam Esse pernegamus. idq; duplici de causa.* (1.) *quia formale habitus non exprimit. Esse v. definitionem illam, in qua rei ratio formalis seu τὸ τί ἦν εἶναι, ut Arist. appellat, non ponitur, vitiosam, norunt etiam primoris Philosophiæ sacris initiati.* (2.) *quia falsum manifestô involvit. Probo utrumq;: Prius; Formale n. habitus est vel respectus ad objectum, ut Regius contendit lib. 2. log. probl. 5. p. 474. vel, quod sit firmus & tolli nequeat, ut autumat Iac. Mart. Exercit. Met. lib. 2. ex. 9. th. 3. p. 973. vel quod inclinet potentiam ad operandum & sic facilitet seu facilem, rectam & promptam reddat, ut Soarius disp. 44. s. 1. d. 9. At primum non est. Habitus n. dicit naturam absolutam, unde etiam ab Arist. in Categ. c. περὶ ποιᾶ ἢ ποιότητος locatur in prædic. absoluto, qualitatis, quicquid etiam contra sentiat, statuat Francis. Piccol. in gradib. moralib. gr. 2. c. 8. Iam absoluti formale non potest esse respectivum. Forma n. & formatum hactenus ejusdem sunt prædicamenti. Ergo habitus formale nõ potest poni in respectu ad objectum. Et quî posset, cum habitus formaliter quid ponat in intellectu, cum relationis per se nulla sit efficacia, cum relata sint simul naturâ. Neq; secundum: In eo n. formale rei ponendum est, quo ab omnibus alijs differat, & cum nullis conveniat. At in hoc, videlicet esse firmum, non moveri & tolli à subjecto, habitus convenit 1. cum potentiâ naturali 2. qualitatibus παθητικαῖς. Ergo. Manet igitur tertium: nimirum formale habitus esse, potentiam roborare, determinare & inclinare ad operandum, rectè, eleganter & faciliter.*

2. *Major propositio hujus discursus constat perfecta enumeratione eorum,*

rum, quæ formale habitus videri possunt. Minor quoq; sufficienter probata est. Vnde sibi constat conclusio, quæ ulterius inde confirmatur, quod istâ inclinandi ratione ab omnibus alijs habitus differat qualitatibus. Iam v. Keck. formale istud in sua habitus definitione non expreßit. Dicit quidem, habitum esse, quâ quis ad operationes est habilis, sed potentia naturalis etiam est qualitas, quâ homo ad operationes est habilis. Alius v. atq; alius utrobiq; habilitatis est modus, & iste in definitione habitus mußitandus non erat. Formale igitur in definitione est omissum. Posterius: Est n. oppidô falsum quod dicit hominem per habitum ed eas operationes esse habilem, quas per naturam solam edere non potest. Si n. hoc esset verũ, habitus in universum simplicis & absolutæ essent neceßitatis, nec πάντες ιδιῶται, quod habet Arist. lib. 1. Elench. c. II. χρῶντο τῇ διαλεκτικῇ, nec ullus naturæ cognitionem habebit, nisi scientiæ habitu instructus, cum tamen hactenus oppositum sit creditum & habituum neceßitatem esse tantum ex hypothesi, quam commoditatis seu utilitatis appellare possumus.

3. Et eleganter admodum venustèq; Soarius l. a. d. 4. contra hunc errorem Keck: argumentatur: Absolutè, inquit, potentia est sufficiens ad efficiendum actum sine tali habitu: alioqui (NB.) nunquam posset actus præcedere habitum (cum tamen quidam habitus comparetur per actus prævios) tamen ut facilius & promptius operetur, necessarius est habitus, quæ potius est utilitas quædam, quæ vocatur etiam neceßitas ad melius esse, & idem est, quod dici solet, hos habitus non esse necessarios ad substantiam actuum sed ad facultatem: ad hunc ergo peculiarem effectum scilicet promptitudinem in operando necessarij sunt.

4. Quare quamvis quidem de habitibus infusis ordinarijs & extraordinarijs verũ sit, quod per naturam edere actiones planè non poßimus, quas illorum adminiculo edimus: credere n. sperare &c. actus sunt meri spirituales, ad quos homo non vulneratus, ut Iesuitæ somniant, sed mortuus Eph. 2. qui & ipsi tamen potentiam paßivam priorem prærequirunt, quam ad tale operationis genus elevant: tamen habitibus ἐπιητήτοις seu acquisitis illud nequaquaquã competit. Nihil vero sit in genere, quod non totum à quavis absorbeatur specie. Quod n. Arist. 2. Top. c. 2. ait, non necesse esse, ut quæcunq; insunt generi, insint etiam speciei; id intelligi debet de ijs, quæ generi insunt particulariter & disjunctivè. ut p. 61. satis benè ipse monet Keak: & Arist. l. a. exemplo declarat.

Q. Trigesima Prima.

An habitus rectè dividatur in inchoatum & completum?

Thesis, I.

Keck. pag. 98. Habitus, inquit, alius est inchoatus, alius completus. Inchoatus dicitur dispositio. *Dico hâc divisione turpem implicari contradictionem. probo: quia alterum membrum dividens evertit ipsum divisum. Hinc argumentor. Divisio, in qua alterum membrum destruit ipsum divisum, est vitiosa. Membra n. dividentia consentiant cum toto, Keckermannus pag. 244. Atqui divisio qua habitus secatur in inchoatum & completum est talis. E. est vitiosa. Minor probatur: I. quia omne inchoatum notat esse in fieri: omnis vero habitus simpliciter notat esse perfectum. II. Omnis habitus absolutè reddit faciles & hilares at operandum: Keck. p. 98. At nullum inchoatum ut dispositio hoc facit: Quicunq; n. dispositione est præditus, cum difficultate agit adeoq; cum aliquâ pugnâ. E. III. Omnis habitus est χρονιώτερον ἢ μονιμώτερον ἢ Arist. lib. categ. c. de qual. At omnis dispositio est ἐυκινήτος ἢ ἐυμεταβόλος, Idem ibid. Ergo non potest dici habitus inchoatus, ut crudè & insipidè loquitur Keckermannus. Dispositio ergo non potest dici habitus ἀτελῶς, nec cum πεοθεσει, quia αἰλφασιν illa adjectio involvit. Vbi v. dispositionis voculam accipies in eô significatu, non quo Aristoteles lib. Met. t. 23. & in categ. cap. qual. usurpat, sed quo habitui in prædicamentali qualitatis serie coordinatur. Divisionem habitus in infusum & acquisitum ὡς ἀκριβῆ admittimus, licet ea incognita fuerit Arist. qui ob id ad habitum acquirendum generatim tria requirit: φύσιν, μέθοδον, γυμνσίαν, quæ nos ad habitus specificam differentiam pertinere arbitramur.*

Q. Trigesima Secunda.

An potentias primas à suis subjectis tolli sit impossibile?

Thesis I.

Potentia prima est, inquit Keckermannus, quæ proximè emanat ex formâ subjecti: & est hæc potentia perfectè propria cujusq; rei, ideo impossibile

posſibile eſt eam à ſubjecto unquam tolli, ut latius dicetur in doctrina proprij. *Cum Keck: idem ſufflare cornu videntur Lovanienſes in comment. in Iſag. Porph. p. 29. Ita n. ſcribunt: Quarto modo id proprium eſſe dicitur, quod eſt univerſale alicui Speciei omni ſoli & ſemper accidens, id eſt, omni tempore accidentaliter inhærens. Hæc autem duplicia ſunt. Quædam ſpeciei ipſi convertibiliter & neceſſariò accidentia ſic, ut ſalvis eſſentialibus ejus principiis, ne intelligi quidem poſſint abeſſe, quales ſunt omnes & ſolæ aptitudines, quas alio nomine proprias paſſiones appellant, ut riſibilitas flebilitas &c. Idem Scaliger ſentire videtur Exercit. 5. ſ. 6. p. 18. Jac. Mart. lib. 1. Exercit. Met. Ex. 3. th. 4. p. 85.*

2. *Nobis præmiſſa diſtinctione rem expedire placet: Diſtinguimus ergô & dicimus potentiam reſpectu cujus ſeparatio proprij intelligitur, eſſe duplicem: Naturalem & ſupernaturalē ſive divinam. Potentias primas naturali virtute à ſuis ſubjectis ſeparari & tolli poſſe negamus; Et hoc reſpectu poſteriorū negativā accipimus quod: potentiâ v. ſupernaturali realiter tolli diſertè & conſtanter affirmamus, ſic tamen ut earum oppoſitum non introducatur. e. g. ab igne potentiam urendi divinâ potentia autumamus poſſe ſeparari, non tamen ut in ejus vicem ſurrogetur potentia frigefaciendi. propria n. ſeu res in ſecundo momento naturæ ut vocat Scal. l. a. arguunt ſua ſubjecta, ſuas formas, à quibus proximè fluunt, & contraria propria contrarias arguunt formas. De quo pulcra vide apud Clar. Meiſn. in phil. ſob. ſ. 1. cap. 1. q. 1. qui eo loci quatuor pro theſeos confirmatione producit argumenta. Vnde quædam repetere nobis integrum ſit præmiſſâ hâc geminâ hypotheſi: 1. propria à ſubjectis realiter differre, quod negatum ibant Scotiſtæ. 2. DEVM poſſe efficere omnia, quæ non implicant contradictionem, quod non negat ipſe Keck.*

3. *Iam argumentamur: I. Quæ una eſſentia non concluduntur illorū alterum à DEO realiter poteſt ſeparari. Eſt n. extra eſſentiam, & ideo ejus ſeparatio non involvit ἀντίφασιν. At ſubjectum & proprium una eſſentiâ non concluduntur. E. II. Eſſe hominem & abeſſe riſibilitatem non ſe reſpiciunt ut affirmans & negans, E. nec contradictiora ſunt. E. DEVS ſeparare poteſt. III. Quæ mens noſtra ſine involutione contradictionis poteſt diſtinguere, ea poteſt DEVS diſtincta ſervare. Arniſ. in notis Crellij pag. 266. At mens noſtra poteſt diſtinguere eſſentiam à proprijs, iſtam cognoſcere & hæc relinquere incognita ſine contradictione. E.*

IV. *Prius*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729226964/phys_0105
DFG

IV. Prius, absolutum & independens potest revera separari à posteriori dependente. Arnis. l. a. Atqui subjectum proprio seu potentiis primis est prius & independens. E. possunt ab illo separari. V. Si operationes potentiarum primarum possunt tolli à potentijs actu positis, utiq; ipsæ potentiæ à suis subjectis tolli poterũt. At prius est. E. Ratio connexi est, quia eadem connexio & necessitas est inter potentiam actu constitutam & operationes, quæ est inter subjectum & primas potentias.

4. Inquis, posita potentia intelligendi in homine, item potentia appetendi, loco movendi, non statim istarum operatio sequitur. R. Sp. distinguendum esse inter potentias rationales & naturales, & vicissim inter naturales, quarum aliæ subsunt potentiæ cognoscitivæ, aliæ vero non, quæ purè naturales dicantur; & de his est nobis sermo. Minor probatur exemplo ferri, quod aquæ innatavit 2. Reg. 6. v. 6. virtute divina, cujus tamen actus proprius descendere. Item exemplo ignis Dan. 3. Et tandem libenter scirem, quo loco Keck. haberet subsistentiam respectu rei singularis substantialis: Ex hypothesibus ipsius dicerem esse proprium perfectum, reciprocatur n. cum tali naturâ Keck. p. 182. eiq; soli, omni, ac perpetuò inest. Quis v. ausit negare subsistentiam ab humanâ Christi naturâ esse actu & realiter separatam? ne quidem ipse Keck. nî duplicare personam Christi, contra manifestum scripturæ dictum, 1. Tim. 2. v. 5. pulcrum ipsi fuerit.

Q. Trigesima Tertia.

An ἀδυναμία, quæ δυνάμει, secundæ qualitatis speciei additur, sit potentiæ privatio?

THESIS I.

Keck. p. 102. utriq;, inquit, potentiæ sua opponitur ἀδυναμία impotentia, quæ directa species qualitatis non est, cum privationis rationem habeat. Contra: privatio in nullo locatur categoria per se, sed per accidens Keck. p. 39. At impotentia naturalis per se est in prædicamento. E. non est privatio. Minorem probo dupliciter (1.) inductione reliquarum trium qualitatis specierum geminâ appellatione assignatarum, quarum unaquæq; secundum utrumq; nomen est directè in prædicamento. Quis n. hoc negat de dispositione? Quis de passione? Quis de figura? Si v. de his negari non potest, quæ

erit ratio, cur de una & sola impotentia hoc fieri debeat, præsertim cum omnibus communis ratio asseratur, cur binis nominibus ab Arist. sint assignatæ istæ species; videlicet ut universa qualitatum latitudo eo melius sub unâ concludatur specie, Fonseca 5. Met. cap. 14. q. 2. s. 2. & 3. Soarius disp. Met. disp. 42. s. 6. d. (2.) Si qualitas illa quæ dicitur ἀδυναμία, alio respectu est δύναμις, utiq; per se erit in prædicamento. Atqui prius est. E. Assumptio est Zabarellæ in tab. log. p. 122. ubi ait: Eadem qualitas potest diversis modis dici tum potentia tum impotentia. Nam molle habet naturalem potentiam ut secetur, & habet naturalem impotentiam ad resistendum secanti: sic salubre habet naturalem potentiam ad sanitatem & resistendum causis morborum, & habet impotentiam naturalem ad ægrotandum.

2. Quod v. Keck. Zabarellæ autoritate ex l. d. se tueri præsumit, id frustrâ est. Zab. n. non dicit simpliciter impotentiam esse potentiæ privationem sed veluti privationem, quæ particula VELVTI benevolam expetit interpretationem ejus, quod laxius erat dictum. Significat ergô hîc impotentia nil aliud quam debilem seu diminutam potentiam. Vnde doctis sufficit unicum nomen potentiæ pro secundâ specie sub qua & impotentia contineatur. Verba sunt Iac. Mart. Pub. 2. Exer. Met. exer. 9. th. 2. p. 792. Idem nobiscum statuunt D.D. Lovanienses. in Comment. categ. Arist. cap. 8. p. 91. de qual.

Q. Trigesima Quarta.

An bonitas, simplicitas, veritas, necessitas &c. sint qualitates?

THESIS I.

NOn tam, inquit Keck. p. 105. qualitates sunt, per quas quinta quædam species sit ponenda, quam Relationes, ut ex Metaphysicis evidenter patet. Rectè negat Keck. istos terminos non pertinere ad prædicamentũ qualitatis, sed quod dicit esse relationes in eo non satis dilucidus est. Est n. relatio alia transcendentalis alia prædicamentalis. Quam distinctionem Keck. vel ignorasse vel improbasse, (quod verisimilius) inde conijcio quod ejus nullam planè faciat mentionem in categ. relationis, vel in tabulis.

Esse v. eam bonam & necessariam multis probat Soarius disp. Met. disp. 47. s. 3. d. 10. & seq. Iavellus v. lib. 5, Met. q. 21. p. 238. contrarium tenet.

2. *Sed nobis Soarij sententia in delitijs est, ideoq; ex ea quadruplex utriusq; relationis discrimen dilucidationis caussâ huc afferemus. I. Respectus seu relatio prædicamentalis respicit terminum purè sub ratione termini: transcendentalis v. respicit aliud non ut purè terminum sed sub aliquâ aliâ determinata ratione vel subjecti vel objecti vel efficientis vel finis. Vide Fonsecam lib. 5. Met. cap. 15. quæst. 1. s. 4. II. Relatio prædicamentalis à natura per se non est intenta, & ideo nunquam per se fit ex vi actionis alicujus agentis sed consequitur posito fundamento & termino, Arist. 5. Phys. At v. resp. transc. sæpè est per sese maximè intentus à natura, & ideo forma essentialiter includens talem respectum sæpe fit formaliter ac per se primò per actionem propriam, v. g. per calefactionem fit calor ut inhærens, in quo intimè includitur transcendentalis respectus III. Hinc relatio pura & prædicamentalis nunquam est principium agendi, non n. per se fit, nec ob id instituta est à natura, principia v. agendi per se instituta sunt. At resp. transc. sæpè est principium per se agendi, ut patet de scientia, potentia &c. IV. Resp. prædic. concipiendus est tanquam forma quædam minima & accidentalis, quæ non dat subjecto aliquo esse nisi respicere aliud, neq; ad aliquid aliud in natura deservit. Resp: verò. Transcendentalis non est concipiendus tanquam integra forma cujus munus tantum sit referre, sed est essentialis modus seu differentia alicujus formæ, quatenus ad causandum per se primò instituta est, vel quatenus ab alio essentialiter pendet.*

3. *Hæ certe quatuor differentiæ sunt evidentissimæ, & ipsam divisionem satis superq; confirmant: quibus adijcimus quintam ex Petro Tartareto super text. log. Arist. fol. 35. nim. quod prædicamentalis relatio tantum propria sit rebus creatis & quæ determinatè fundatur super re unius prædicamenti: transcendentalis v. per omnia vagatur prædicamenta, eademq; transcendit, & rebus increatis quoq; competit, unde sine omni dubio denominationem quoq; suam est sortita. Vt ergo redeamus unde digressi sumus, veritatem bonitatem possibilitatem &c. esse relationes non prædicamentales sed transcendentales, ob id quia cum omni ente recurrunt æquali ambitu & latitudine. Neq; etiam Aristoteles lib. 5. Met. cap. 15. aliam relationem intelligit quam transcendentalem; secus ac non nemo putat, qui*

ob

ob id ipsum Ens vult esse in prædicamento adeoq; perfectè definiri. Sed Philosophema istud, ut meruit, explosum est & profligatum.

4. Sub calcê hujus quæstionis, quia ob paucitatẽ de ijs peculiares quæst. formare nõ placet notanda propono tria: I. Keck. nõ rectè omittere in definitione qualitatis παθητικῆς. vel à passione oritur. Qualitas n. patibilis dicitur non tantũ, quia sensum afficit sed & quia à passione oritur, ut conceptis verbis docet Philosophus c. de qual. quem sequuntur καὶ ὰ πόδα DD. Parhisienses in paraph. cap. 8. categ. Arist. p. 39. Quamvis n. omnes hæ qualitates afficiant sensus, ob id tamen patibiles omnes non appellantur, ut dictum, cujus rei rationem affert Iulius Pacius, Ictus nunquam satis laudatus, super hoc textu Arist. quia inquit causa efficiens est prior effectu, ideoq; dolores prius ex passione producuntur, quam passionem in sensu gignant, merito dicitur, patibiles qualitates à passione à qua efficiuntur, & cum inde hanc appellationem nactæ sint, non posse amplius eam accipere ab affectu quem producunt. Alia ratio est superiorum illarum qualitatum, ut dulcedinis & amaroris, cum enim non gignantur à passione aliquâ, quandoquidem mel sine suâ passione recipit dulcedinem, non possunt ab efficiente passione, quæ nulla est, patibiles qualitates nuncupari: proinde necesse est, ut eam appellationem sumant ab effectu, id est à passione, quam in sensu generant. Ex quo concludimus utrumq; in definitione fuisse adijciendum. II. prædicamenta actionis & passionis nulla ratione præmitti prædicamento relationis, quod n. Keck. actionem & passionem existimat accidentia absoluta, ante diluimus. III. Ex sententiâ Arist. rectè quidem ex prædicamento qualitatis excludi affectus animi, cum ab ijs nemo denominetur qualis ob subitum eorum ortum & interitum, communiter tamen à logicis tertiæ qualitatis speciei accenseri, ut videre est apud Pet. Tartaretum super textu Arist. log. fol. 37. DD. Lovan. in com. categ. Arist. c. de qual. p. 94. qui passiones qualitatem ex assertione autorum dicunt secundum essentiam, non a. secundum modum denominandi. Rectius Fonseca lib. 5. Met. c. 14. q. 1. s. 4. Passiones, inquit animæ non pertinere per se ipsas ad tertiam speciem, sed per qualitates adjunctas, quæ sensibus patent, & per quas cognoscuntur, ut ira per ardorem, metus, per rigorem. Idem Suarez. statuit disp. Met. disp. 42. s. 5. d. 15. Et quidni affectus cum nihil sint aliud quam motus appetitus (seu appe-

citio) reponantur in prædicamento passionis, cum intellectio, volitio etiam eô referantur à Suarezio, disp. 49. s. 4. d. 2. Met. tamen aliter considerata etiam rectè locantur in prædic. actionis. Keckermanni ergo sententia de hoc tolerari potest.

Q. Trigesima Quinta.

An relatio rectè definiatur per unionem tanquam per genus?

Thesis I.

Keck. pag. III. Relatio, inquit, est duorum plurium̄q; unio. *Sed jugulum hac definitione petit Keck. orthodoxæ fidei. Arist. in concreto Relata sic definit cap.* περὶ τὰ πρός τι· ἔστι ταῦτα ὅσα λέγεται τοῦ ἑτέρου πρός τι ταυτὸν ἐστι τῷ πρός τι πως ἔχειν, *h. est Relata sunt quorũ esse nihil aliud est, quam ad aliquid se quodã modo habere. Hinc in abstracto sic definiretur rectè: Relatio est habitudo ob quam quædam inter se referuntur, ita ut esse eorum in hoc consistat, quod referuntur. Cæterum vocabulum habitudinis non ita accommodatum est sacramentariæ hæresi palliandæ, ideo eo suppresso vocabulum unionis substituit Keck: & hoc fraudi Calvinianorum est aptum: scribunt enim Calviniani utrumq; (1.)* Corpus Christi esse in cænâ præsens cum pane unitum, item (2.) corpus Christi tantum esse in cælo, unde non redeat ante diem Novissimi judicij, imô tanto intervallo abesse à cænâ, quanto cælum distet à terra. *Vt ergo hæc conciliare aliàs verè ἀνυποφάνῳ possint & simul rudi plebeculæ imponere, dum idem nobiscum sentire verbis (VERBIS inquam) ostendunt simulantq;, hoc περιζωμα monstrosæ suæ sententiæ obvelandæ finxerunt, ut dicant corpus Christi in cæna adesse σχετικῶς relative, item, pani esse unitum unione σχετικῇ seu præsentiâ relativa. Sed hanc unionem nihil minus esse quam unionem egregiè docet Meisn. in Phil. sob. s. 1. cap. 2. q. 1.*

2. *Nos vitiosè relationem per unionem definiri sic ostendimus: Quod genus non omnibus relationis speciebus competit meritô tanquam adulterinum est rejiciendum. At unio non competit omnibus relationis speciebus. E.*

Major

Major certa est: Minor probatur: Sunt n. relata in triplici differentia, ut observat Meis. l. d. Quædam ad σχέσιν suam necessariò requirunt absentiam, ut spes & speratum, præfigurans & præfiguratum, typus & antitypus. Quædam necessariò requirunt præsentiam, quomodo referuntur omnia unita sive unio sit Physica sive hyperphysica, ut inter DEVM patrem & filium, λογὸν & carnem assumptam &c. quæ tamen non necessariò requirunt istam præsentiam quia relata sunt sed ob aliam causam, quæ est in unione, quam præsupponunt. Quædam intermedij generis sunt quæ ad σχέσιν suam nec præsentiam nec absentiam requirunt, quomodo pater ad filium refertur sive eum in sinu recumbentem, sive locorum maximis intervallis disjunctum habeat. Vnde elicimus relatis accidentarium esse quod sibi sunt præsentia vel absentia conjuncta vel disjuncta. Quod n. contingenter cum re cohæret id ei hactenus accidentarium jure appellatur. Sed cum relatis contingenter cohæret, esse unita? Si n. necessariò, nihil erit unitum & sibi præsens nisi relata; quod est absurdissimum.

3. Hinc alterum pro thesi confirmanda argumentum: Genus nunquam est suæ speciei accidens Keck: pag. 51. Genus est inseparabile à suis speciebus, nec est verum genus sine quo species alicubi aut in aliquo esse potest. pag. 52. Arist. 4. Top. c. 2. At unio accidit relationi, potest ab eo separari, ut probatum, E. unio non est verum relationis genus. Minorem ulterius probamus eo, quod omnis unio sit conjunctio. Jam v. relata, quatenus talia, non sunt necessario conjuncta, Et Quæ conjuncta non sunt ea nec Vnita sunt. Fieri n. non potest idem esse separabile & conjunctum. Scal. Exer. 307. s. 16. Quæ v. unita non sunt, inter ea quoq; unio non est. Vnio n. relativa somnium est sine somno.

Q. Trigesima Sexta.

An relatio quæ fidei adhæret ei competat per accidens?

THESIS, I.

Keck: quæstionis partem affirmantem tenet. Ita n. pag. 112, prodit: Fides per se est qualitas, sed adhæret fidei quidam ordo ad objectum cui fidimus, hinc

hinc ipsa fides, quæ sua natura est habitus mentis, vocatur relatio, non per se sed per accidens ratione istius respectus ad objectum. *Sed absurdus est Keck. hac suâ assertione. Fidem esse ens absolutum verum est. Fidem esse habitum mentis non nisi cũ discrimine verum est, quatenus n. est fiducia est habitus voluntatis, ut docent Theologi in loco de Iustificatione. Fidei adhærere ordinem ad objectũ verum quidem & hoc est, sed falsum, quod per accidens iste ordo seu relatio fidei adhæreat. Probo. I. Si omnes habitus relationem transcendentalem in essentiâ suâ intrinsicè involutum habent ad objecta etc. utiq; falsum erit, fidei, quæ habitus est, relationem ad objectum per accidens adhærere. At prius est. Suarez disp. 47. s. 3. dist. 11. & 12. Slek. in prælect. log. E. & posterius, II. Quæ per accidens rei adsunt illa possunt abesse. Accidens namq; contingit non esse Arist. lib. 10. Met. c. ult. Quæ per accidens sunt non semper sunt. Arist. 11. Met. c. 8. At relatio ista à fide nunquam potest abesse & semper illi competit. E. Minoris probatio pendet ex ratione præcedenti. Quod n. rei essentiale est abeße nequit. Omnis v. respectus trãscendentalis rei est essentialis. E. III. Si fidei per accidens competit relatio, per accidens justificat. At hoc est ἀσύστατον, ἀθεόλογον. E. Ratio connexionis in majori est, quia fides justificat non quâ habitus sed quâ relatio est, quatenus nimirum Christum cum meritò suo apprehendit. Vide incomparabilem Theologum D. Chemnitium part 2. loc. com. de justif. D. Paulum Tarnovium Præceptorem nostrum disp. de justif.*

Q. Trigesima Septima.

An relatio sit Ens reale?

Thesis I.

Negat Keck. p. 113. ex Zanchy lib. 2. de nat. DEI c. 2. q. 1. dicentis: Relatio est Ens per suum fundamentum; addita ratione evidenti, ut putat Keck. quia omne Ens reale alteri additũ faciat compositionẽ, relatio addita subjecto non facit compositionẽ realem, quod qui ignorat aut negat nec de simplici dei essentia, nec de personis S.S. Trinitatis unquã rectè sẽtiet

tiet. Et pag. 236. scribit Keck. Relatio non est Ens nisi ratione fundamenti sui. *Nos relationem Ens reale esse statuimus cum Iavello lib. 5. Met. quæst. 23. p. 233. Cum Soario Disput. Metaphys. disp. 47. s. 1. d. 25. Fonseca lib. 5. Met. c. 15. q. 1. s. 2. formaliter prout distinguitur à fundamento, cum Scaligero Exercit. 6. s. 2. p. 24. Doctoribus Conimbric. in c. 7. de relat. quæst. 1. artic. 1. &c.*

2. *Probamus 1. autoritate Arist. qui ens reale divisurus, relationem entis speciebus annumerat passim II. Summa genera sunt entia realia. Relatio est summum genus. E. III. Quod absq; ulla fictione intellectus est in rerum natura illud est ens reale. Atqui relatio est citra omnẽ intellectus operationem in rerum natura. E. est Ens reale. Minor probatur quia habitudo & ordo est inter patrem, & filium, Dominum & seruum, etiamsi nullus homo de eâ cogitet.*

3. *Ad Pronunciatum Zanchij respondemus distinctione adhibita ejus quod dicitur per se. Est n. iste terminus ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων. Accipitur ergo per se 1. quatenus opponitur ei quod est per accidens. 2. quatenus opponitur ei, quod est in alio inhæsivè, 3. opponitur ei quod pendet ab alio 4. opponitur ei, quod est tale δι' ἄλλων. 5. etiam ei opponi potest quod est tantũ apparenter seu per operationem intellectus. Quatuor modis prioribus relationem non esse Ens reale per se, ultrò damus. Interim primum modum subdistinguimus: Ens n. per accidens dicitur vel ratione entitatis vel ratione causæ Quatenus per se opponitur enti per accidens primo modo, dicimus relationem esse ens per se, secundo v. modo negamus cum per se non intendatur ut docet Suaretz. d. l. s. 4. d. 12. Vltimo igitur modo relationem non esse Ens per se reale negamus ob facta argumenta. Et ut accidens est Ens per substantiam ita relatio per accidentia absoluta Keck. p. 113. At accidens non simpliciter negatur esse ens per se reale. Ergo nec idem de relatione negari simpliciter debet. Ad argumentum Zanchij Resp. iterum distinguendo inter relationes prædicamentales & transcendentales. Illæ rebus additæ efficiunt compositionem adeoq; ens per accidens: hæ v. nequaquam, quia de intrinseca ratione sunt eorum, quorum sunt respectus. Atq; respectus hos transcendentales rectissimè stare posse cum rebus absolutis imò de earum esse ratione exemplo dependentiæ aptitudinalis respectu accidentis scitè admodum & eleganter declarat Suaretz disp. allegata s. 3. d. 12. ut & exemplo dependentiæ aptitudinalis respectu creaturarum. Vide si placet. Latius hæc diducere nostri non est instituti.*

4. Pag. 114. Lutheranos Theologos quos ex impotenti calumniandi libidine Synusiastas vocat, sic aggreditur: Nec multo considerationes (Metusiastis h.e. pontificijs) sunt Synusiastæ, qui item fingunt ejusmodi panis mutationem, ut intus q. excavatus, aut alio quovis modo mirificè dispositus occultet in sese receptum corpus Christi, quæ res profectò tam absurda est, ut viris cæteroquin doctis in mentem venire non potuerit, si utilissimam hanc doctrinam logicam de relatione rectius considerassent. *Sed agit hîc Keck. pro philosopho calumniatorem. Plato lib. 6. de Rep. Philosophum sic definit:* φιλόσοφος τῇ φύσει φίλος ἐστὶ καὶ συγγενὴς τῆς ἀληθείας. *Sed Keck. veritatis rationem hîc certè nullam habuit, cum virulentiæ spumam in tot bonos imò in totam Ecclesiam γνησιώς Lutheranam despumet, & hoc ipso malitiosè orthodoxiam lutheranam apud simpliciores suspectam reddere* κερσίνλε ποσίνλε *laboret.*

5. *Verum unde tandem demonstrat inconsiderantiam & ignorantiam doctrinæ de relatione in Theologis Orthodoxis? Vnde probat eos istam, quæ in liripipio cerebri sui sibi fingit, docere panis mutationem? Vin' scire eorum circa hoc punctum sanam doctrinam; En tibi! Visibilia elementa panem & vinum secundum substantiam suam eadem esse ante & post verborum institutionis recitationem, docent constanter, consecratione verum ex usu vulgari destinari ad usum sacrum seu accipere divinam vocationem, sicut Patres loquuntur, ut nim. sint ὄχημα & medium, quo res cælestis in cænâ communicantibus exhibeatur, idq; sine ullâ excavatione, locali inclusione, delitescentia, impanatione seu alia mirificâ dispositione. Quæ somnia sunt hominum delirantium. Illud certum est quod Theologi Orthodoxi particulas in, cum, sub, adhibeant in explicatione controversiæ de cæna; id v. non ad docendam localem inclusionem, sed realem præsentiam corporis Christi, tum etiam ob alias causas, quas vide apud Gesnerum disp. 9. in Form. conc. th. 30. & seq. Vbi simul docet, non magis ex illis particulis in controversiâ de cænâ sequi localem inclusionem, quam in controversia de unione personali, quam ipsa sacrosancta scriptura particulis illis describit & declarat thesi 34. Et sanè permirum est, Calvinianos tantæ esse impudentiæ,*

ut toties etiamsi à nostris accusationem recoquere audeant. Dn. Chemnitius in lib. de fundam. sanæ doctrinæ de cænâ. informatione status controversiæ per ἀξιον expressè tradit c. 3. p. 6. non esse quæstionem de locali inclusione corporis Christi in pane.

6. P. 115. tradit maximam esse relationum multitudinem & copiam per omnes disciplinas adeoq; Theologiam ipsam diffusam, ita ut dolendum sit, reperiri Logicos, qui usq; adeô studiosis Theologiæ malè velint, ut de relationum natura in logicis suis non tractent nisi illo levissimo respectu, quatenus sub rationem veniunt oppositorum. *Cæterum querela hæc vana est. Ostendimus n. supra prædicamentorum doctrinam non esse logicæ partem essentialem, ideoq; de necessitate simplici in logicis non tradi. Idem v. esto judicium de relatione, quæ pars prædicamentorum.*

7. P. 117. & 118. tres ponit canones: I. Relationes ad sui introductionem & conservationem non egent. locali contactu. Declarabo, inquit, rem sacro exemplo: Christus secundum corpus tantum nunc in cælo existens, veram ac realem habet unionem & cohæsionem cum suis membris adhuc militantibus in terrâ & idem corpus veram ac realem habet unionem Sacramẽtalem cum pane Eucharistico in terris. Nullus hic localis contactus requiritur ut ij credunt, qui ex ignorantiâ hujus doctrinæ Christo illocale, seu quod idem est incorporeum corpus affinxerunt. II. *Canon:* Terminus seu fructus relationis non est affigendus Relato: ita communio cum substantia & beneficijs Christi non est affigenda pani & vino Eucharistico sicut nec ablutio peccatorum aquæ baptismi, ut pontificij alij faciunt. III. *Canon:* Correlatum qua tale non debet includi suo relato. Conjugium non est arrhæ includendum, corporis

Christi, quod est panis Eucharistici correlatum pani huic non est includendum.

8. *Verum Canones hi acanonici meritô vanitatis ac falsitatis obelisco confodiuntur vel ideô, quod à Keck. effícti sunt, ut Calvinismum incautis ingenijs aliud q. agendo instillaret & errores rancidos logico cerusso perpuraret, ut ex subjectis exemplis perspicuè patet, & animadvertit Claris. Finckius part. 1. Sched. s. 22. pag. 61. Et quidem ut seorsim dicamus de singulis, quid de eorum primo sit statuendum ex ijs est colligere, quæ paulo antè circa genus relationis â Keckermanno aßignatum disputavimus. Accidere, ibi diximus, Relatis, esse sibi præsentia vel absentia, conjuncta vel disjuncta, eorumq; naturam cum præsentia vel absentia optimè stare posse; cum neutrum illis sit ὐσιῶδεσ vel ἐπουσιῶδεσ. In specie v. observa I. quædam relata necessario requirere præsentiam quidem mutuam, non v. localem contactum, ut humana & divina Christi natura, panis & corpus Christi in cæna: Item forma & materia. Quædam v. localem contactum requirere ut continens & contentum, item locus & locatum. Falsa ergo est assertio Keck.*

9. *II. Keckermannum rotundè fateri, corpus Christi tantum esse in cælo, eo tamen non obstante, veram ac realem habere unionem cum fidelibus & pane Eucharistico in terris, nim. ob relationem. Sed quæ tandem vera & realis est unio? Quæso te per DEVM immortalem exponas mihi, sitne realis unio & præsentia inter talia duo, quorum unum ab altero vel sexcentorum milliarium intervallo disjunctum? Dicas quæso, sitne realis unio inter patrem agentem Swerini & Filium degentem Parchimi ob relationem? Sensu communi te privatum atq; desipere oportet si affirmes. Vnio certè est conjunctio, realis unio realis conjunctio, & res realiter unitas oportet sibi esse præsentißimas. Præsentia sibi quædam possunt esse quæ tamen non sunt unita, sed unita quæ sunt ncessariô sibi sunt præsentia. Secus se habent relata, quæ relatio non facit præsentia. & quî posset? cum sit minimæ entitatis, ideoq; vel nullius vel certè exiguæ efficaciæ. Sit sane Keck. unio relativa realis, nobis mens alia est, meliorq;. Notet v. cordatus Lector stilum & phrasin Sacramentariorum, qui quando dicunt, scribunt, clamant, Corpus Christi in cænâ esse præsens, esse pani unitum, talem intelligunt præsentiam & unionem, quâ tamen corpus in*

cælo

cælo relinquitur & longissimo intervallo abest, eamq; unionem vocitant relativam, veram & realem. Hæc n. aperta est Keck. sententia, ut vel cæco apparet. Sed de tali unione & præsentia Orthodoxis non est sermo. Hoc quærunt, An in solenni actione cænæ vescentibus exhibeatur, ijq; percipiant ore tantum panem & vinum, an v. simul ore corpus & sanguinem Christi. Vtrumq; ajunt Lutherani percipere qui utuntur cænâ. Calviniani negant posterius. Vide Chemnitium. l.a.

10. III. Nullo jure nostratibus Theologis à Keck. imputari ignorantiam doctrinæ de relatione: omni v. retorqueri in ipsum autorem hanc accusationem, cum multis modis in hâc doctrina exorbitet. IV. Corpus dicere illocale, item corpus esse incorporeum nullam implicare repugnantiam. De posteriori patet, quia corpus de prædicamento quantitatis est accidens proprium corporis de prædicamento substantiæ. Accidens v. proprium à subjecto suo potentiâ supernaturali potest separari, nec ingreditur subjecti sui essentiam. Idem quoq; de priori statuendum, videlicet locabilitatem accidens proprium esse corporis, quæ si separetur, nulla sit contradictio. Neq; verum est, Lutheranos Christo affingere corpus illocale. In loco corpus Christi post glorioſissimam adscensionem negant, Illocale esse non dicunt, quin potius manifestô fatentur, Christum, si velit, corpus suum in loco visibile præsentare posse. Et immane-quantum est discrimen, inter locale esse & in loco esse. τὸ πᾶν locale est, sed in loco non est, ultimum cælum locale est sed non in loco. Differunt ut proprium perfectum & imperfectum, ut proprium tertij & quarti modi. Cum autem corpus Christi sit πνευματικὸν, δεδοξασμένον, ἀΦθαρτον, ἢ τέλειον, ut scriptura multis in locis testatur, & locus sit proprius corporis ἀσωμάτου, Aristoteles lib. 4. phys. c. 1. Φθαρτὸν lib. 2. Met. cap. 4. ideoq; illi competat propter imperfectionem, indigentiam & infirmitatem lib. 2. de cælo cap. 1. sine insigni certè injuriâ in loco corpus Christi reponere nequeunt.

11. Ad secundum canonem dicimus, quædam relata esse, quæ necessariô terminus sequitur, e.g. Relationis quæ est inter lapidem limitẽ & agrum limitatũ terminus est ipsa agrorum distinctio, Et hæc affixa est necessario isti relationi seu limitationi. Ita mutua societas est terminus conjugij, necessariô illi affixus; quædã v. relata esse quibus terminus necessariô non sit affixus, ita procreatio sobolis nõ necessariô sequitur conjugiũ, nec Sacramenta necessariô sequũtur beneficia à Christo parta, ut sunt remissio peccatorum ἀθανασία &c. In-

verim tamen si quis fide Sacramentis utitur, omnia ista consequi ob promissionem additam statuimus. Neq; pani & vino, item aquæ isti effectus à nostris attribuuntur, sed pani & vino unà cum corpore & sanguine Christi fideli mente acceptis, sed aquæ cum verbo conjunctæ, Wasser thuts freylich nicht / inquit Lutherus in Catechesi, sondern das Wort Gottes so mit vnd bey dem Wasser ist. Hinc Filius DEI mundat nos lavacro aquæ Ephs. 5. v. 25. Ne igitur quis putet nudis signis tantos à nobis adscribi effectus æquum est. Quod Pontificij Sacramenta ex opere operato gratiam conferre vociferantur, id nihil ad nos.

12. At tertium & ultimum Canonem dicimus, Illum Aristoteli apertè contradicere. Enumerat n. lib. 4. Top. c. 2. seu 4. juxta distinct. Pacij tria genera aut circa illa relatorum, quorũ primum est eorum, quæ necessariò in illis sunt, ad quæ referuntur. Sed placet integrum locum adscribere, quia valdè perspicuus est, tum etiam quia adversarios premit vehementer. Eorum, inquit, quæ ad aliud referuntur, alia necessariò in illis aut circa illa sunt, ad quæ referuntur (ut affectio & habitus & Symmetria: hæc n. in nullâ aliâ re esse possunt, quam in ijs, ad quas referuntur) alia v. non necesse est in illis esse, ad quæ referuntur, contingit tamen inesse (ut si anima sit res scibilis, nihil n. vetat, quo minus anima sui ipsius scientiam habeat: non tamen necesse est: quia potest & in alio hæc ipsa scientia inesse) alia v. simpliciter non possunt in illis inesse ad quæ referuntur (ut contrarium non potest esse in contrario: nec scientia in scibili: nisi accidat ut id, quod est scibile, sit anima vel homo) Hæc relatorum differentia ex asse cum eâ convenit, quam supra ex Cl. Meisnero retulimus. Agnoscunt eam Pacius pag. 403. D.D. Parhisienses p. 248. Lovanienses p. 544. super textu Arist. Et non obscurè ipse Keck. de canonis sui veritate ambigere videtur, dum inquit: Relatum, quâ tale non debet includi suo relato. Vbi particula reduplicativa innuere videtur, Relatum quidem posse includi suo correlato, sed non quia relatum est. Verum particulâ quâ sive reduplicativè sive specificativè intellectâ, canon tamen falsus est. De exemplis quæ pro canonis declaratione adducit ita habendum: nim. de eorum priori dubitari posse, an conjugium & arrha se habeant ut relatum & correlatum. Est n. conjugium ipsa relatio inter maritum & uxorem, quî vero relatio possit esse relatum? Deinde relatum & correlatum per se mutuò definiuntur. Id v. non contingit in his duobus, videlicet conjugio & arrha. Sed fortè contingat hoc alio respectu

respectu. Posterius v. calumniæ spiculum vicissim admixtum habet. Corpus n. Christi pani Eucharistico non includi, sed uniri, sed adesse docent, qui dexteram Lutheri confessioni sine dolo porrexerunt.

Q. Trigesima Octava.

An definitio causæ sit bona?

THESIS, I.

Causæ definitionem Keckermannus p. 120. tradit talem: **Causa est, à quâ pendet causatum.** *Fonseca lib. 1. Met. c. 7. q. 1. s. 3. causam describit, quod sit à quo aliquid per se pendet Nec Suaretz. Fonsecæ definitionem quoad rem improbat, licet aliam substituat disp. Met. 12. s. 2. l. 4. Verum Arnisæus eam definito esse latiorem statuit in Epit. Met. p. 50. & 56. A principio n. seu termino à quo per se pendet motus, nec tamen terminus motus causa est. Item Relativa per se pendent à se invicem, ut ita principio quoq; & relatis Fonsecæ definitio competat. Præter dependentiam igitur requiritur ut à causa aliquid ad effectum conferatur.*

2 IDEM IVDICIVM *nobis esto de Keck. definitione, in quâ nudæ dependentiæ similiter tantum sit mentio. Licet a. vox causati quæ in definitione ponitur Keckermanni dependentiam illam determinare videatur, interim tamen eâ non explicatur propria ratio causæ, quin potius idem per idem, ignotum per æquè ignotum definitur, id quod est valde vitiosum. Arist. 6. Top. c. 2. Quam v. vitiosum hoc est, tam familiare Keck: Id quod aliquarum definitionum inductione probare allubescit. Causa efficiens, inquit, est, unde pendet effectus p. 123. Efficiens per se est, unde per se pendet effectus. Ibid. causa principalis est, unde principaliter pendet effectus. p. 126. Causatum est, quod à causa pendet. Totum ordinarium est, quod partes habet ordinarias. pag. 159. totum essentiale est quod habet partes essentiales. Ibid. Hoc genus definitiones plures in Keck. reperiuntur, id quod jam noto semel, proderit a. observasse semper. Causæ definitionem ex Soario l. a. producimus hanc: Causa est principium per se esse influens in aliud. Eaq; vera est & sufficiens, quia rem verè & sufficienter explicat: perfecta tamen non est, h. est,* ἀκριβὴς *logicarum legum non attingit, ob id, quia causa nihil*

aliud est, quam generalis quidam Entis modus, qui in genus & differentiam nequaquam est resolubilis. Modi n. Entis ipsam ejus naturam imitantur.

Q. Trigesima Nona.

An communis causæ notio seu definitio assignari propriè possit?

THESIS I.

Negatum it Keck. p. 120. Causæ nomen, inquit, commune quidem est, sed non univocum nec abstractum: connotat n. Ens absolutum cum causandi relatione, ut cum DEUS dicitur causa mundi: Unde Averrões rectè statuit communem causæ notionem seu definitionem assignari propriè non posse. *Ad quæ noto duo:* (1.) *Causæ quidem nomen non esse univocum, nec quoad plane æquivocum, sed analogicum eâ analogia, cujus forma denominans in utroq; est extremo licet secundum prius & posterius. Hinc argumentor: nomen analogicum unâ notione ac definitione potest comprehendi. Causæ nomen est analogicum. Ergo causæ nomen unâ ratione ac defininitione potest comprehendi. Major constat exemplo Entis, & probatur, quia habetur de eo conceptus unus formalis & objectivus. Minor probatur: Vbi est realis convenientia, ibi abstrahi unus communis conceptus potest. At in causis est realis convenientia. Omnibus n. commune est concurrere ad constitutionem causati. Ergo à causis communis conceptus potest abstrahi. Pergo: si conceptus ille à reali ista convenientia abstractus suis quasi inferioribus non communicatur ex æquo, sed per prius & posterius, utiq; erit analogicus & nomen causæ analogicum. At prius est. Efficiens enim magis influit in esse causati, quam finis, magis item forma, quam materia. Item modi causarum communes sunt causis accidentium & substantiarum, quæ tamen non possunt esse univocè causæ. E. & posterius. Fonseca. Suaretz. l. d. idem statuunt. quodverò Keckermannus prius causam definit, quam eam dividit in per se & per accidens, in eo ἀλόγως plane agit. Quomodo n. causa per se & per accidens cogentur sub unam definitionem, cum causa æquivocè dividatur in causam per se & per accidens & Aristoteles causam per*

accidens

accidens utpote ad scientias nihil conferentem reijciat. Imòne causa quidem per accidens una definitione potest describi, cum variis modis dicatur, ut ipse Keckermannus docet.

II. *Causæ nomen non semper connotare Ens absolutum. Sumitur enim dupliciter secundum Iavellum lib. 5. Met. q. 9. pag. 172. primò quoad entitatem suam, deinde, quoad relationem. Vel tripliciter juxta Fonsecam l. 2. uno modo pro re, quæ denominatur causa, omninò tamen absolutè accepta, ut pro sole, aut homine. Altero relativè, h. est, quatenus significat relationem ad effectum, quo pacto est simul naturâ cum effectu. tertio, quatenus ab ea pendet effectus, qui modus medius est inter duos traditos. Ex his, patet vocem causæ, quando relativè accipitur non connotare ens absolutum; Imò quando pro re ipsa accipitur, nec tùm causandi relationem includere.*

Q. Quadragesima.

An hominis voluntas & intellectus suâ naturâ & essentiâ moveantur non ad malum sed ad bonum?

THESIS I.

Keck. *p. 125. affirmatè respondet.* Hinc, inquit, videmus nullum agens divinitus conditum per se & sua natura, id est, essentia moveri ad malum, sed ad bonum; sicut dicitur, omnia bonum appetunt. Voluntas certe hominibus sua essentia ad malum non fertur, nec intellellectus ad errorem. Idem repetit in præcognitis Eth. p. 39. Objectum voluntatis per se est verum bonum, ad quod voluntas hominis per se, id est, essentiâ suâ fertur: Loquimur a. (pergit) hic de voluntate in suâ definitione & essentia considerata, non de voluntate per peccatum corrupta & à sua essentia degenerante, qualis proh dolor nunc est omnium hominum

num. Oportet enim hominis essentiam ab hominis morbo & corruptione discernere. Secundum essentiam ergô suam homo fertur ad verum & ad bonum, ad verum quidem ratione intellectus; ad bonum ratione voluntatis.

2. *Movent ob hanc assertionem Keck. litem Clar. Velstenius in Exercit. Ethicis. Meisnerus in phil. sob. s. 2. q. 2. p. 457. Esaviticam illam existimantes. Argumenta contra illam sententiam colligi possunt duo. I. Si propensiones & actiones à naturâ & essentiâ producuntur, non quâ talis, sed quatenus in certo est constituta statu, h. est quatenus certis qualitatibus est instructa & restricta, utiq; falsum erit, hominem naturâ & essentiâ suâ ferri in bonum. At prius est. E. Assumptio probatur, quia non ipsa natura immediatè agit, sed quædam naturæ superaddita qualitas habitualis proximum & ἄμεσον operationum est principium. Hinc Suarez. disp. Met. 18. s. 3. d. 42. proxima, inquit, facultas ad actionem accidentalem in creaturâ est accidens à substantia distinctum. II. Omnes propensiones & actiones sunt singularium Arist. 1. Met. c. 2. At καθ' quâ talis non est singularis, sed qua existit, & per certa accidentia est determinata. Ergo essentia non quâ talis, sed qua existit operatur & quatenus est determinata. Verissima ergô est conclusio: ratione essentiæ suæ hominem neq; ad bonum neq; ad verum ferri. Nec ullus Iesuitarum contra eam mutire quicquam potest.*

3. *Verum dubitare licet, an Keckermannus phrasin hanc: SVA ESSENTIA ad bonum ferri, pontificio sensu velit intellectam. Nam I. ESSENTIA SVA ad bonum moveri, idem illi est, quod naturâ suâ moveri: Iterum naturâ suâ moveri ipsi nihil aliud est, quam per se moveri. Id quod manifestè patet in exegesi definitionis causæ efficientis per se p. 125. Ibi n. ly per se exponit per suâ naturâ & per accidens exponit per non suâ natura. Vnde argumentum: Si NON SVA NATVRA Keck. idem est quod PER ACCIDENS, suâ naturâ ipsi erit idem quod per se. At prius est p. 149. Ergô etiam posterius. II. Keckermannus opponit voluntatem in suâ definitione & essentiâ consideratam voluntati corruptæ & à suâ essentiâ degeneranti, ut liquet ex ipsius verbis allegatis. At voluntas corrupta non rectè opponitur voluntati in se absolutè & præcisè secundum essentiam spectatæ, sed voluntati rectæ & integræ, hoc est, imagine DEI præditæ. Ergo voluntas in essentia considerata Keck. est*

voluntas

voluntas integra. Item: Voluntas corrupta à suâ essentiâ degeneravit, non quatenus illa in se præcisè consideratur, sed quatenus primævâ integritate & rectitudine fuit ornata & dotata. Ergo voluntas in essentia considerata signat Keckermanno voluntatem ita limitatam & dotatam. III. Ipse Keck. scribit syst. log. lib. 1. p. 70. Individua primariò ac per se existunt, agunt, sentiuntur. Et Paulo post explicationis ergò subjungit hæc verba: Ad operationem omnem requiritur existentia ejus quod agit, pòst circumstantia loci & temporis, & deniq; certus instrumentorum apparatus; quæ tria solis singularibus per se competunt; itaq; sola hæc & operationes producunt & eas in sese recipiunt, &c. Cum ergo οὐσία Keck. sit universalium, ut docet ibid. rectè inde videtur colligi, essentiæ non esse per se operationem. Quin & probat illorum Theologorum institutum, qui DEVM essentiam singularem dicunt, ob id quia ei competant actiones. Sed hæc obiter ὡσπερ ἀποχρέμενοι idq; modestissimè.

Q. Quadragesima Prima.

An causa principalis & instrumentalis rectè sit definita?

Thesis I.

Principalem causam definit Keck. p. 126. à quâ effectus principaliter pendet, Instrumentalem, quæ ad producendum effectum à principali causa assumitur, p. 119. Neutra definitio proba est. Prior n. præterquàm quod vitiosè & obscurè idem per idem explicat, ipsam formalem rei rationem non exprimit. Formalem n. rationem causæ efficientis principalis non ponimus in independentiâ sed in concursu ad effectum per virtutem propriam, eamq; vel nobiliorem vel saltem æquè nobilem cum effectu: Vnde cum Suaretz. disp. Met. 17. s. 2. d. 18. illam describimus. Causa principalis est quæ per virtutem propriam (principalem) vel nobiliorem, vel saltem æquè nobilem cum effectu influit in actionem per quam talis effectus producitur.

2. Quibus sic stantibus posterior definitio eodem laborabit vitio. Quod probo: Causa principalis & instrumentalis unius divisionis sunt membra opposita. Ergo per rationes oppositas istæ causæ erunt constituendæ & definien-

&c. Ergo causa instrumentalis erit, quæ non virtute propriâ sed à causa principali exaltata attingit effectum se nobiliorem. Igitur, quia definitio à Keck assignata ipsam rei rationem & naturam non dilucidat, eo nomine reprehensionem jure incurrit. Principalitatem a. causæ non consistere in independentia: nec instrumenti rationem in dependentiâ, tribus argumentis adstructum videbis apud Arnis. In Met. p. 69. Vnde patet creaturas propriè loquendo instrumenta DEI non dici, ut quidem sentit Keck. p. 132. & 133.

Q. Quadragesima Secunda.

An causæ instrumentali efficacia principalis agentis tribuatur prædicatione impropriâ?

THESIS I.

Ita Keck. statuit p. 132. Etsi a. omni instrumento solet tribui efficacia principalis agentis quadam prædicatione impropria, tamen cooperativis instrumentis tribuitur frequētissimè; ita minister alicujus dicitur efficere, quod dominus tanquam πρῶτον αἴτιον facit: Ita pastores Ecclesiæ dicuntur homines convertere, in vitam reducere &c. cum id spiritus sanctus faciat per ministros; Ita verbi prædicationi Rom. 1. tribuitur potentia ad salutem, & baptismo atq; alijs sacramētis tribuitur regeneratio, & alij ejusmodi effectus spirituales prædicatione, ut dixi, impropria. *Prædicationem a. impropriam lib. 2. p. 391. facit duplicem: unam, ratione dispositionis, alteram ratione verborum. Illam dividit in cōmunem & Mysticam. Communem definit quod sit, cum prædicatum externum tribuitur subjecto, propter vulgatam & communem quandam unionem seu relationem. Et hac prædicatione communi vult Keck. Sacramentis tribui effectus spirituales. Vt aliàs sol calidus dicitur, qui tamen nihil minus est: Saturnus frigidus, Venus humida &c.*

2. *Patet a. ex his quam longè absint Cinglio-Calviniani aberrore seu potius furore Swenckfeldianorum, qui scripturam, ut prædicatur, per insignē blasphemiam, humanam appellant vocem, sonitum, strepitum q. inefficacem.*

Imo

Imò Goclenius lib.1.problem.Log.prob.24. disertè sonum evanescentem vocem verbum DEI, quâ dicitur. Et Beza loco supra allegato præter significationis usum ne tantillũ quidem Sacramentis attribui debere scribit. Idem hîc facit noster Keck. qui eodem loco habet, quando sol dicitur calidus, & quando prædicatio verbi dicitur salvare. Sed quid respondebũt Paulo, qui conceptis verbis testatur; Evangelium esse potentiam DEI ad salutem Rom.1.v.16. DEVM per stultam prædicationem salvos facere homines 1. Cor. 1. v. 22. baptismum salvare 1. Pet. 3.v.21. regenerare Tit. 3.v. 5. At Keck. respondet, fieri hoc prædicatione impropria. Age ergò videamus ζοφὸν istud φάρμακον, quod iterum effinxerunt isti homines, quô Philosophico purpurisso errores musteos colorarent.

3. Ita arguimus: Si verè, realiter & propriè instrumentum ad effectum producendum concurrit, verè realiter & propriè etiam de eo effectus iste prædicatur. At prius est. Ergo etiam posterius. Connexionis rationem non puto esse, qui desideret. Minor quoq; nota est ex definitione instrumẽti, quod quid sit ex quæstione immediatè præcedẽti efflorescit. Et si instrumentum non verè, realiter & propriè cõcurrit ad effectum, causa efficiens planè æquivocè dividetur in principalem & instrumentalẽ, quod hactenus in tota Philosophia inauditum est. Concurrit ergo utraq; licet non παρίσως, principalis πρώτως, instrumentalis δευτέρως. Deinde: Qui modus prædicandi non est, eo nihil potest prædicari. Non Entis n. nulla accidentia. At prædicatio καλὰ σύνθεσιν impropria non est. Ergo eâ nihil potest prædicari. Minor probatur, quia logica nõ est, quippe quæ consentanea affirmando, dissentanea negando enunciat, ideoq; si quædam dissentanea affirmatè invenit disposita, illa ut falsa respuit. De prædicationibus a. hisce fictitijs, earumq; vanitate, ἀδεκείᾳ & scopo si quis plura scire avet, consulat Hesselbeinium in Antidoto tertio contra Goclen. & Meisnerũ in Phil. sob. s.1.q.8.c.5. qui ex professo contra istud cõmentũ disputãt

Q. Quadragesima Tertia.

An posita causâ proximâ impossibile sit & contradictorium, effectum non poni?

THESIS I.

Ait Keck pag.145. Planè, inquit, impossibile & contradictoriũ est causã proximã impediri, quo minus ponat effectũ, causa n. proxima est actu causa; at

actu causam esse & non habere effectum, perinde est, ac si quis actu dicatur pater & careat filio: hinc Dominus Philippus inquit: causa in actu positâ, impossibile est non sequi effectum; Idem vult Arist. Post. c. 10. & Zab. lib. de specieb. dem c. 15. & ad cont. 94. 2. Post: ubi docent omnem causam proximam cum suo effectu reciprocari. Quæ a. reciprocantur, eorum unum sine altero esse nequit ita ut magna sit eorum incogitantia, qui contendunt; salvis subjectorum formis tolli posse causam proxima omnium earum, quæ subjecto insūt, proprietatum.

2. *Disputat a. Keck: hæc eo fine, ut humanam Christi naturam à gloriæ throno divinæ, ad quam per unionem personalem est exaltata, deturbet, omnipotentem omnipræsentemq; neget, quia eo partim dimensionum penetratio inferatur. Cæterum essentiales proprietates à subjectis suis posse tolli peculiari quæstione evicimus suprâ. Nunc similiter ostendemus contradictorium non esse, si causâ proximâ positâ impediatur effectus. Sit ergo discursus: Vbi tantum est necessitas physica, ibi si contrarium contingat, nulla implicatur contradictio. Atqui ad causam proximam positam sequi effectum, tantum est necessitas Physica. Ergo si ad eam non sequatur effectus, contradictorium non est. Majorem probo: quia necessitas Physica licet immutabilis sit naturaliter, aufferri tamen potest & impediri virtute omnipotentis DEI, ut constat ex dependentiâ illa quâ causa necessitate naturæ agens à prima causa pendet, ita ut sine primæ concursu agere non possit. Quandoquidem v. suum concursum prima causa liberè impertit, ita quoq; liberè illum causis secundis potest subtrahere, & sic subtrahendo suum concursum earum actiones impedire, ut docet Soarius disp. Met. 22. s. 1. d. 12. Fonseca 5. Met. c. 2. q. 9. s. 2. p. 138. dd. Conimbric. 2. phys. c. 8. Arnisæus in Epit. Met. p. 75.*

3. *Hinc argumentum: Quæcunq; potentiâ aliquâ impediri potest, id si non sequatur vel adsit nullam implicat ἀντίφασιν. Contradictorium n. nullâ, nullâ potentia fieri potest. Atqui necessitas physica impediri à DEO. potest. Ergo si ad causam proximam non sequatur effectus non statim implicat contradictionem. Minor hujus syllogismi patet ex dictis, & concedit eam prolixè*

Calvinista

Calviniſta Fortunatus Crellius lib. 2. Log. part. com. c. 6. Aliud neceſſarium eſt, inquit, neceſsitate Phyſica, ut ignis neceſſariò urit, ſol neceſſariò movetur. Nota, hæc extraordinario illo modo mutantur, quod in pugnâ Ioſuæ & fornace Babilonicâ accidit. Deinde cauſa proxima poſita non agit, niſi præſtò ſint neceſſaria ad agendum requiſita, qualia à variis variè enumerantur. Zimara theorem. 112. ſex ponit, alij plura. Iam v. DEVS omninò illa requiſita poteſt auferre, imò quædam à Creaturis poſſunt auferri. Ergo auferendo iſta requiſita poſſunt actionem cauſæ proximæ impedire. Majorem unanimi conſenſu docent & confirmant Metaphyſici. Minor probari poteſt inductione omninum requiſitorum. Quia v. hoc nimis foret prolixum iſtam operam ſtudioſo lectori volumus commiſſam. Quod verò tantum Phyſica neceſsitas intercedat cauſæ proximæ cum effectu, ex definitione neceſsitatis Phyſicæ apparet: Eſt enim ea, qua agens naturaliter non poteſt nõ talem edere effectum, propterea quod illius natura ita ordinata eſt. Sic ad formam hominis neceſſario ſequitur riſibilitas diſciplinæ capacitas &c. quæ extraordinario modo ab homine tolli poſſe, antè diximus.

4. Sed ad argumenta Keckermanni reſpondemus (1.) falſum eſſe cauſam proximam eſſe actu cauſam. probo: Ens quoddam ACTV cauſa conſtituitur per cauſalitatem. At hæc in efficiente eſt ipſa actio vel influxus. Ergo cauſa actu non eſt niſi actu agat. At poteſt eſſe cauſa proxima, quæ ſic non agit ſi nim. requiſita & conditiones ad agendum neceſſariæ abſint. Imò DEus negando ſuum concurſum efficere poteſt ut cauſa proxima non agat, unde tùm non eſt actu cauſa. Intellexit hoc ipſe Phyloſopus cæteroquin Ethnicus, qui lib. 8. Phyſ. t. 23. inculcat, ad cauſam proximam ſequi effectum ἐὰν μὴ ἐμποδίζῃ. Mirum ſanè & ter mirum in mediâ luce ita cæcutire Calvini ſocios, ut ipſi Ethnici etiam ſint longè oculatiores. Quod n. lumine naturæ prævio hi videre potuerunt eſſe poſsibile, id contradictorium plenis buccis clamitant. (2.) Philippi regulam tanquam veram admittimus, ad cauſam n. actu commoda neceſsitate effectum ſequi ipſi remur. Quando v. cauſa impeditur non eſt omnia actu (3.) Ariſt. & Zabarellam Keckermannus contra ipſorum mentem pro erronea ſuâ opinione allegat, ut ipſa lectorem docebit ἀυλοψία. Quod enim de reciprocatione cauſæ & effectus affert, illud ordinariâ ratione eſt intelligendum. De extraordinariâ ratione ne γε νε μὺ ne χὺ ibi Zabarella habet. Diſputat n. eo loci contra Averroiſtas, qui demonſtra-

demonstrationem potissimam faciebant aliam speciem à demonstratione propter CAVSAM. Tandē quæro, Anne proxima causa ferri descensus in aqua sit grvitas? non puto jure hoc posse negari: Et tamen ipse descensus extraordinariè à DEO est impeditus 2. Reg. 6. v. 6. Item ignis proxima causa combustionis similiter impeditus est in fornace babylonicâ Dan. c. 3. Escena igitur unà cum perversa suâ opinione se proripiat Calvinista.

Q. Quadragesima Quarta.

An unius effectus tantum sit una causa proxima?

THESIS I.

AFFirmat Keck. p. 146. idq; rectè ex Arist. lib. 2. post. analyt. cap. 16. & 17. Verum cum multa exempla videantur in contrarium posse afferri: ut quod mortis causa proxima possit esse & febris & vulnus, item morbi alicujus causæ proximæ possunt esse plures, ut constat ex medicorum decretis: sic calor potest produci à motu & à sole: operæ pretium me facturū puto si limitationem istius apponam ex Pacio super locum Aristotelis allegatum: Hæc inquit, ita se habent in veris causis per se, ex quibus fiunt veræ demonstrationes. Aliàs possunt esse plures causæ ejusdem effectus tribus modis.

2. Primus modus est, si sumatur causa per accidens non per se, id est causa nostræ cognitionis, non causa, cur res sit, veluti cum demonstratur ab effectu. Secundus modus est, cum loco causæ totalis sumuntur separatim ejus partes. E. g. Ignis est causa luminis; item sol est causa luminis: Ergo sunt plures causæ. Vna tamen est vera causa nempe corpus lucidum. Nam ignis non est causa luminis, quatenus est ignis, nec sol, quatenus est sol, sed utrumq; quatenus est corpus lucidum. Tertius modus est quādo causæ sunt subordinatæ, e. g. latitudo foliorum est causa cur humor concrescat, & concretio humoris est causa, cur folia cadant. Ergo duæ sunt causæ casus foliorum subordinatæ, altera proxima, altera remota. Ad horum trium modorum aliquem priora illa à nobis posita exempla reduci debent.

Q. Quadragesima Quinta.

An definitiones materiæ, formæ & finis rectè sint assignatæ?

Definitiones

Definitiones à Keck. traduntur tales: Materia (Principalis) est, quæ cum forma constituit compositum substantiale p. 153. Forma (propriè dicta) est causa cum materia constituens compositum substantiale seu corpus. p. 157. Finis est ad quem efficiens ordinatur. pag. 167. *Sed istæ definitiones vitiosæ sunt I. quia circulus in definitionibus non habet locum: debent enim confici ex prioribus. Arist. lib. 6. Top. c. 3. Porphyrius in Isag. c. 2. de specie. Iam v. materia & forma per se mutuò definiuntur à Keck. II. quia res distinctæ non possunt unâ communi notione & definitione comprehendi. At definitiones istæ possunt omnibus quatuor causarum generibus applicari. Id quod inductione patet. Causa efficiens n. constituit compositum, item finis, forma & materia, licet nõ modo eodem, ut mox patebit; & quidni constituerent, cum omnes & singulæ influant in esse causati. Sic quoq; finis ordinem habet ad efficientem, materia ad formam, & vicissim. Esse vero causas omnes formaliter distinctas, patet ex eo, quia in illis sunt influxus diversarum rationum. Probatur, quia influxus causæ materialis & formalis est intrinsecus per internam compositionem: influxus a. causæ efficientis & finalis est extrinsecus. Rursus influxus materiæ est per modum potentiæ: formæ a. per modum actus. Influxus item efficientis est per actionem realem: influxus a. finis per mutationem intentionalem. Suaretz. disp. Met. 12. s. 3. d. 9,*

2. *Vnde argumentum: Quæcunq; res proprias & distinctas habent rationes & formalitates, istæ per eas sunt definendæ. At efficiens, finis, materia, forma habent proprias rationes formaliter distinctas. Ergo quoq; per suam propriam rationem & non communem erant definiendæ. Quod quia in definitionibus Keck. non fit, omni jure reijciuntur. Arist. lib. 2. Phys. c. 3. t. 28. & lib. 6. Met. c. 2. materiam definit,* τὸ ἄλλου ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπαρχόντος. *Explicatius istam definitionem resolvimus sic: Materia est causa, quæ formam recipiendo intrinsecè compositum constituit. Formam ibidem definit, quod sit* λόγος ὁ τοῦ τι ἦν εἶναι, *seu* λόγος τῆς οὐσίας. *Post. c. 11. Hanc ita efferimus: Forma est causa, quæ materiam actuando composito intrinsecè largitur esse. Finẽ definit ibid. t. 29.* τέλος ἐστὶ τὸ οὗ ἕνεκα. *Interpretamur sic: Finis est causa cujus gratia efficiens agit. Nec est, ut quis nobis occinat, has definitiones eodem, quo Keck. vitio laborare; cum in finis definitione fiat mentio efficientis, in*

formæ

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729226964/phys_0129
DFG

formæ definitione, materiæ, & vice versa, nam in quibusdam rebus hoc fieri necessario ipse Arist. loco allegato docet; neq; nos simpliciter ob id improbamus Keckermanni definitiones, sed quia ex terminis mutuis omnes procedunt, quod propterea vitiosum arbitramur, quia non sint relata mutua τὰ ὁριζόμενα, ideoq; quodammodo ex prioribus confici possunt. Quin & in eo accuratiores sunt nostræ definitiones quod proprium, cujusq; causæ influxum distinctè explicent, quod primò necessarium erat.

3. Pag. 158. canonem ponit: Formæ debentur propriè operationes cujusq; compositi: cui similia scribit p. 177. Sed ad rationis tribunal vocatus canon vix subsistet. Si enim composito propriè debentur actiones & passiones, proprie non debebantur formæ. At prius in lyceo hactenus est receptum. Ergo & posterius. Sequelæ ratio est manifesta cum unum uni tantum propriè competat. Minorem probatam vide apud Fonsecam lib. 1. Met. c. 1. q. 5. 6. 3. ubi hanc habet assertionem: Omnes actiones proficisci per se ab agentibus singularibus per se existentibus. Et qui fieret secus, cum ad omnem actionem & passionem requiratur completus existendi modus. Vnde Arist. 1. Met. c. 1. αἱ πράξεσ καὶ αἱ γενέσεισ πσαι περὶ τὸ ἴκαστόν εἰσιν. & lib. 1. de anim. t. 46. Non dicendum est animam intelligere misereri, cogitare, sed hominem per animam. Scal. Exer. 307. s. 36. homo inquit, est qui intelligit non anima.

4. Pag. 159. Formam aliquam primam quæ sit communis omnium corporum, sicut materia prima dicitur, communis omnium materia, introducere conatur, sed totus est fruſtrâ. Est namq; commentum inane: Id quod probo perspicue. Si est quædam forma communis provehemur in ejus cognitionem, vel à priori vel à posteriori. At non à priori, ut constat. Neq; à posteriori Nulla n. ejus innotescunt accidentia nullæ operationes. Ergo penitus à nobis cognosci nequit, Ergo est non Ens. Dicis, à nostra cognitione non legitimè procedi ad negationem rei. Imò optimè hoc fit hactenus, quatenus nullum omnino ens neq; ob tenuitatem & exilitatem essentiæ suæ neq; ob excellentiam & sublimitatem plane nostram cognitionem effugere potest. Et quæso te, quomodo Keckermanno ea forma innotuit? Sed hæc Physicorum scholis relinquimus. Qui volet videat solidam hujus novi figmenti refutationem apud Cl. Slekerum in disputationibus ad Physicam Keckermanni.

Quod

Quod v. Philosophus ait lib. 1. ἀκροάσεως φυσικῆς: ἐνὸς αἴτιόν ἐστι δοθέντος ἄλλα συμβαίνει, *id verissimum esse, vivo exemplo probat Keck. Dum ex primo erroris fonte de formâ primâ, alterum haurit de formâ secunda, quam definit, quod sit, quæ primam sequitur, ut anima vegetans, sentiens &c. Melius alij formam in communem & specificam distinguunt, nullam interim injicientes mentionem formæ primæ & secundæ. Consule, si libet, libellos Metaphysicos & reipsa id experieris.*

6. *P. 169. iterum intrudit errorem Calvinisticum. Definitionem n. finis ὡ seu secundariò dicti affert ejusmodi:* Secundariò dictus (finis) est cui finis primariô dictus intenditur. *Ejus explicandæ causa mox subjungit hæc verba:* Sic finis *cui* institutæ cænæ Dominicę sunt fideles; quibus per eã fidei confirmatio à Christo intenditur; & iidem sunt finis *cui* totius ministerij & passionis Christi. *Et post pauca:* Sic reprobi non sunt finis *cui* passionis Chtisti, quia (1) his ea à principali efficienti non intenditur, nec (2) etiam sunt ejus in applicatione capaces. Vnde (3) removentur à Christo Joh. 17. dicente, pater non oro pro mundo, id est, non destino ei ullam sacerdotalis mei officij partem.

7. *Resp. Fideles esse FINEM CVI institutæ cænæ, verum est, sed non tantum, Infideles n. etiam sunt finis Cui. Id quod Theologi sic confirmant. Ad quos pertinet verbum fidei h. e. Evangelium, ad eos etiam pertinet fidei sigillum* σφραγὶς *& signaculum. Atqui ad infideles pertinet verbum fidei. ergô quoq; ad eosdem pertinent fidei signacula h. est, Sacramenta. Minor probatur (1.) apertis scripturæ dictis Matth. 28. v. 19. Mar. 16. v. 15. &c. Vnde argumentor: Quibus Evangelium est prædicandum ad hos pertinet. Atqui hominibus omnibus fidelibus & infidelibus Evangelium est annunciandum. Ergo. Nec est, quod Calviniani interpellent de vocatione, efficaci & ineffi-caci, voluntate revelata & abscondita, vel de vocatione, quæ fit animo communicandi gratiam, ut loquitur Piscator. Ex intentione n. DEI vocatio apud omnes efficax esse debebat, & ad salutem scitu necessaria omnia plenè in scripturis sunt tradita, Act. 20. v. 21. 1. Cor. 2. v. 7. Vide Clar. Theologum D. Hutterum in form. conc. art. 9. Vnde Philippus Melanchthon in locis com. de prædest: Sciamus, inquit, non esse aliam voluntatem quærendam extra*

verbum. Item: ut prædicatio pœnitentiæ universalis est & omnes arguit ut Rom. 3. clarè dicitur, ita & promissio gratiæ est universalis. (2.) qui propter Evangelij contemptum damnantur, ad hos pertinet. At infideles & reprobi propter Evangelij contemptum damnantur. Matth. 23. v. 33. Ioh. 3. v. 18. Act. 7. v. 51. c. 13. v. 46. quia non crediderunt Ioh. 3. v. 18. cap. 16. vers. 8. E. Et hæc respectu intentionis DEI intelligenda. Aliàs ad infideles sacramenta pertinere his non obstantibus rectè Theologi negant.

8. II. Reprobi omninò sunt finis CVI passionis Christi: quod constat (1.) ex clarissimis SS. scripturæ oraculis Rom. 5. v. 6. 2. Pet. 2. v. 1. Rom. 14. v. 16. 1. Cor. 8. v. 11. Dicere v. cum Piscatore esse hæc dicta non κατ' ἀλήθειαν sed κατὰ δόξαν accipienda, est mendacij arguere spiritus S. amanuenses, qui tàm sæpè tàm perspicuè tam Emphaticè idem asseruerunt. (2.) Ratione. Si Christus non est mortuus pro ijs qui pereunt, non debent ad ipsum per Evangelium vocari, nec debuit in illis accusari incredulitas, neq; debent dici damnati propter Evangelij & Christi contemptum & rejectionem, ideoq; si exquisite loqui velis, non dicentur negasse Christum illi, quibus Christus neq; promissus, neq; datus neq; oblatus fuit, neq; eos quicquam attinuit, eodem plane modo sicut Evangelium repellere dici non possunt, nisi ij, qui oblatum admittere noluerunt & à se reiecerunt, ut patet ex Act. 13. v. 46. Argumentum hoc est D. Menzeri Tom. 1. disp. Gies. disp. 15.

9. III. Falsum est, fidei confirmationem per sacramenta & passionem Christi reprobis à principali efficiente non intendi, ut liquet ex dictis. IV. quod multi passionis in applicatione non fiunt capaces, id non fit ex DEI intentione seu absoluto aliquo decreto, sed contra DEI cõsilium, quod suâ culpâ homines repudiant Luc. 7. v. 30. V. Glossema Keck. super dicto Ioh. 17. v. 9. falsum est & contortum, textuiq; repugnans. Christum v. pro hostibus adeoq; pro crucifixoribus suis orasse patet ex Luc. 23. v. 34. Es. 53. v. ult. Heb. 5. v. 7. Ad locum ex Ioh. 17. D. Menzerus l. a. respondet, in eâ oratione Christum singulariter DEO commendare suos discipulos, ut defendat ipsos contra hostes & ab omni malo tueatur &c. Quâ consolatione imprimis passionis tempore opus habebant discipuli &c. Non orat Christus pro mundo h. est non orat, ut scelerati mundi conatus feliciter succedant, id quod pertinet ad voluntatem consequentem & hactenus à quæstione alienum est.

Q. Quadragesima. Sexta.

An rectius & jure meliori hoc in loco (scilicet post doctrinam

ctrinam de cauſis) agatur de accidente proprio & communi, quam in prædicabilibus?

THESIS I.

Ita ſentit Keck. p. 174. Porphyrius, inquit, farragi-nem quandam terminorum logicorum volvit, colligere extra artis methodum; idcirco directæ & regulatæ artis methodo nihil debet aut etiam vult, præjudicare. Quapropter etſi videam Logicos peripateticos omnes de accidente communi & proprio in doctrina prædicabilium tractare, tamen rationes graviſsimæ ſunt, & immotæ, cur hîc de ſubjecto & accidente rectius tractetur. Primò n. hic eſt naturalis ordo, ut prius rei vocem, genus & cauſas inveſtigem, quam accedā ad ejus accidentia; deinde omne accidēs præſertim proprium à rei formâ fluit & ſubjecto ineſt per efficientem cauſam: itaq; impoſsibile eſt, quid accidens ſit intelligere, ſi neſcias, quid formalis aut efficiens, aut finalis cauſa ſit. In doctrina verò prædicamentali de accidente ſubſtantiæ contradiſtincto actum fuit, non inhęſivè, ſed ordinativè, id eſt, nō ſub notione ea, quam habet ad ſuum ſubjectum, ſed tantum ſub notione graduū & ordinis, quem accidentium genera & ſpecies ad ſe mutuò tenent.

2 *Cæterum inſtitutum hoc Kecker. inſolens plane & novum, imo omni ratione deſtitutū, adeoq; ἄλογον eſt. Probo: I. Quod eſt extra Logicæ eſſentiā poſitum, illud in ipſo Logicæ meditullio locum ſibi vēdicare poteſt plane nullum. Ratum. At ſubjectum & accidens ſunt extra Logicæ eſſentiam poſita. E. in ipſo Logicæ meditullio tradi non debent. Minor probatur; quia ſunt notiones primæ præſertim prout de ijs agit Keck: nec ad finem logicæ faciunt quicquam, cum materia ſyllogiſimi non ſint. Ramus lib. 4. ſcholar. Dial. ſubjectum & adjunctū Entis ſpecies vocat: non eſt a. dubium, quin Keck. in prima logicæ ſuæ parte Ramizet. Et Slekerus in præfect. log. tradit: cauſam*

ſam, effectum, ſubjectum, adjunctum &c. Topicum mutuari ex Metaphyſicis.
II. Si in proœmio logicæ duobus cumprimis in locis de accidente agitur, videlicet in doctrina prædicabilium & prædicamentorum, idq; recte, ſequitur hoc in loco de ijs non rectè agi. Ratio patet, quia eo reſpectu, quo hic contendit Keck. ibi eſt tractatum de ijs, ut mox dicetur. At prius eſt, ut ante confirmavimus. E. etiam poſterius.

3. Eſſe præterea inſolens Keck. inſtitutum ipſe non obſcurè concedit, quare non eſt, ut in hanc rem addam verbum. Quibus ita conſtitutis Keck. rationes contrarias nihil ob ἄγνοιαν ἐλέγχε in ijs admiſſam, concludere, per ſe planum eſt. Primò n. quod de Porphirij intentione ſcribit, ultrò ipſi largimur, nec quicquam eo contra nos efficit, quin potius noſtram ſtabilit ſententiam de predicabilibus extra eſſentiam logicæ collocatis. Deinde vocem (quæ tamen non inveſtigatur, cum quid nomen ſignificat indiſciplinis præſupponatur, ut docet Ariſt. lib. 1. Poſt. anal. 1.) genus, cauſas, accidentia &c. inveſtigare, ſcientiarum realium eſt. Modum v. inveſtigandi iſtos terminos præſcribit logica. Viderint ergo realium diſciplinarum ſcriptores quo ordine illos diſponant tractentq;. Nec opus eſt indiſciplinis tradendis naturæ vel artificis proceſſum obſervare: non enim Ethicus ita progreditur in præceptis Ethicis adornandis, ut vir bonus operatur. De quo fuſè differentem vide Zab. in libris de Meth. & Apol. Denicq; poſito, in doctrinâ prædicamentali de accidente actum fuiſſe eo, quo vult Keck. reſpectu, nihil tamen contra nos obtinet, quia accidentis tractatio ſub alterâ iſta notione ad Metaphyſicam eſt remittenda. Et logicum in prædicamentis (ſi inibi de eo in genere agitur) principaliter non attendere ordinem, ſupra probavimus.

4. Imò inhæſivè ſeu ſub notione eâ, quam habet ad ſubjectum, in prædicamentis de accidente agi, ex eo liquet, quod de accidentis ratione ſit inhærentia, non quidem actualis, qui error Nipho & Bacconio tribuitur, ſed aptitudinalis, Vnde Keckermannus & hic & in prædicamentis eodem modo, ſi rem ſpectes, accidens definit. Vnde etiam fit, quod ab elegantioribus logicis ſubſtantia prædicamentalis definitur per Ens, quod propriu m eſſe habet & ſuſtinet accidentia. Crellius lib. 1. Log. part. com. pag. 66. Iacob. Mart. lib. 2. Inſtit. Log. c. 5. pag. 117. Ex quâ definitione perſpicuè inclareſcit, de ſubſtantia in prædicamentis agi, quatenus induit relationem ſubjecti.

5. Pag. 176. Subjectum limitatum definit, quod ſit, cui accidens tribuitur non abſolutè ſed ſecundum partem.

Mox

Mox subdit: Hujus subjecti præcipuus usus est in doctrina de personâ Christi, quæ sæpè dicitur subjectum accidentium certorum, non absolutum & simplex; sed limitatum & καθ' ἕτερον, nempe cum totus Christus dicitur esse ubiq; , hoc intelligendum est limitatè secudum naturam infinitam: contra cum totus Christus dicitur natus ex Mariâ virgine atq; adeo esse creatura, itemq; ambulasse, esuriviſſe, sitijsse, fessus esse, passus deniq; & mortuus, talium omnium subjectum est Christus, sed limitatum secundum naturam scilicet finitam. Hanc limitationem Græci patris indicare volverunt per terminum καθ' ἕτερον ἢ κατὰ. Hinc Lombardus lib. 3. dist. 33. ex sententia Augustini; Christus totus est ubicunq; est, sed non totum; & Thomas 1. part. q. 52. artic. 3. Christus totus est ubiq; sed non totaliter ubiq; quod explicat Damascenus libro 3. Orthod. fid. c. 7. τὸ μὲν ὅλον φύσεως ἐστι παραλαμβανόμενον, τὸ δὲ ὅλος ὑποστάσεως. Scholastici ut etiam Zabarella & alij distinguunt inter subjectum *quod*, & subjectum *Quo*, quæ distinctio rectè intellecta plane cum hac nostra coincidit. Est enim subjectum *quod* e. g. passionis totus Christus, subjectum a. *Quo* sancta ejus caro secundum illud Apostoli: DEUS passus est carne. Id quod Vigilius lib. 2 contra Eutychetem c. 3. luculenter declarans, inquit, passus est DEUS secundum unionem personæ (id est, ea persona, quæ est DEUS) non est passus secundum proprietatem naturæ.

6. *Cæterum Respondemus ad hæc I. subjectum absolutum & limitatum, quatenus cum Zabarellæ distinctione subjecti QVOD & QVO coincidit, quod præcipuum usum in doctrina de persona Christi habeat, non esse negandum. II. esse simpliciter falsum, quando de toto Christo enunciatur omnipræsentia, seu esse ubiq; quod tum Christus sit subjectum limitatum seu quod supponat pro alterâ tantum naturâ, nim infinitâ. probo: Quicquid de*

Christo prædicatur juxta tertium communicationis idiomatum genus illud secundum humanam naturam est intelligendum. Atqui omnipræsentia seu esse ubiq; dicitur de Christo juxta tertium communicationis gradum. Ergo secundum humanum naturam hoc est intelligendum. Ratio in majore est, quia in tertio cõmunicationis gradu agitur de hyperphysicis (donis) quæ non personæ tantum, sed ipsi assumptæ naturæ, vel personæ secundum assumptam naturam donata vel communicata sunt. Chem. de duab. nat. in Christo c. 19. Vnde argumentum: Quæcunq; scriptura in tempore Christum accepisse dicit, propter humanitatem dicit, non propter divinitatem. Athan. ad Theod. dial. 1. Atqui quæ in tertio gradu de persona Christi dicuntur, in tempore accepit. Ergo ea secundũ hominem intelligenda, ut ait Leo in Epist. 81. ad Palæst.

7. Nec est quod Georgius Sohnius in exeg. August. conf. p. 15. cum suis complicibus excipit. (De subjecto, inquit, erratur, quia de Christo homine, hoc est de personâ in concreto non de humanâ ejus natura in abstracto prædicantur. Nam Christo vel filio hominis hæc data esse dicuntur, non humanitati. Itaq; non rectè fit transitus à persona ad naturam) Nam persona non est tertium quiddam ex naturis compositum, sed nihil est aliud quam duæ naturæ unitæ, DEVS & homo, οὐκ ἐξ ἑτέρων ἕλεον ἀλλ' ἐξ ἑτέρων αὐλὸν ex Dameseno doeent Theologi. Et quomodo per positionem seu affirmationem unius subordinati negatio alterius subordinati rectè potest inferri? Iam v. subjectum QVOD & subjectum QVO seu quod idem, persona & natura habent se ut subordinata. In singulari n. tria sunt consideranda: natura ejus singularitas & totum suppositum: Natura est principium QVO actionis & passionis; singularitas est conditio necessaria actionis, Totum suppositum est quod agit, venustè & verè scribit Fraciscus Toletus in log. p. 444. Et cum homo dicitur intelligere, an hoc de animâ potest negari? committitur ergo fallacia oppositionis.

8. Cum ergo divina ista dona data non rectè accipiantur respectu personæ exclusivè; vel divinæ vel humanæ naturæ erunt ista tribuenda. At non divinæ; quia ea ab æterno perfecta est, ideoq; illi nihil dari in tempore potest. Est immutabilis simpliciter Mat. 3. v. 6. Iac. 1. v. 17. Ergo humanæ. Quod disjunctum invictum est. Quando ergo, ut ad Keck. redeamus, de Christo omnipræsentia & cætera similia divina idiomata prædicantur, id secundum utramq; naturã rectè intelligitur; infinitam nim. & finitam; licet non ex æquo. Divina n. natura illa habet per essentiam, in seipsa & secundum se, naturaliter

liter. humana v. non proprietate naturæ seu per essentiam, sed per & propter unionem personalem adeoq; τῷ ἔχειν, ut loquitur Chem. l. a. c. 23. Caro Christi, inquit Cyrillus, habet illam potestatem non proprietate naturæ sed unitione personæ lib. 6. Dialog. & de recta fide ad Theodosium: Caro Christi, ait, vivificat non secundum propriam naturam sed secundum unionem cum vivente verbo, hoc est, non καθ' ἑαυτὴν sed καθ' ἄλλο.

9. III. Cum Christus dicitur natus ex Mariâ virgine &c. rectè dicitur quod subjectum limitatum tum sit Christus: Id quod sacra scriptura particulis distinctivis apertè docet, quãdo ista attributa ad naturam finitã restringit Rom. 9. v. 15. 1. Pet. 4. v. 1. & alibi. Ideoq; hoc genus prædicationis ad primum gradum communicationis pertinent, quæ cum prædicationibus tertij generis omninò non sunt confundendæ. Esse v. tres illos gradus verè distinctos perspicuè Dn. Chemnitius in lib. all. c. 12. magno cum antiquitatis consensu probat. Vide Menz. tom. 1. disp. Gies. disp. 2. th. 82. & seq. Esse v. distinctos negant Calviniani & nominatim Beza Resp. 3. ad Sel nec.

10. IV. De termino καθ' ἄλλο notari debet, quod habet Chemnitius l. a. c. 14. Et, inquit, observetur Phrasis καθ' ἄλλο. Nam in hoc primo genere communicationis est particula distinctiva, ut cum dico: Dominus gloriæ est crucifixus κατ' ἄλλο, h. e. non secundum divinam, sed humanam naturam. Sed in tertio genere καθ' ἄλλο, significat causam, ut cum Cyrillus dicit: Caro Christi est vivifica, non καθ' ἑαυτὴν, non secundum se, sed καθ' ἄλλο, διὰ ἄλλο, καθ' ἕνωσιν, ibi causa significatur hac phrasi, unde scil. & quomodo Caro Christi sit vivifica, sicut in tertio genere ostendemus. Et hoc loco illud moneo. Multi enim æquivocatione illius Phrasis ludunt carnem Christi esse vivificam, sed καθ' ἄλλο: quod ita intelligunt non carnem Christi, sed solam divinam ejus naturam quasi seorsim vivificare. Hactenus Chemnit. Non est autem dubium, quin eundem lusum vocabuli, καθ' ἄλλο Kecker. hic velit intrudere: à quo ut tibi caveres, observationem istam, ex Chemnitio huc apponere volui, debui.

11. V. Lombardi regula si sano accipiatur sensu, quo quidam ipse eâ usus est, nobis nihil obest. Nam inter totum Christum & totum Christi, inquit Clar. Hutter. in form. con. art. 9. non aliter distinxerunt (Scholastici) quã ut totus quidem Christus personam duabus naturis constantem significaret: Totum autem Christi illas ipsas naturæ proprietatum essentialium ratione consideratas. Et usurparunt quidem Scholastici hanc distinctionem in quæstione de omnipræsentiâ Christi, partim ad ostendendam personæ

unitatem

unitatem, partim v. ad notandum discrimen naturarum in unâ hâc personâ Christi: dicentes verum esse, quod totus Christus sit ubiq; non certè secluſâ humanitate, nam totus non est ubi non DEVS & homo est: homo a. non est sine humanitate suâ. Quare ad unitatem personæ respicientes rectè affirmarunt quod totus Christus sit ubiq;. Cæterum negarunt totum Christi esse ubiq;: docentes nim. non ex utriusq; naturæ proprietate fieri, ut sit ubiq; ac proinde per totum Christi intelligentes naturas, non respectu unitatis personæ sed respectu proprietatum naturalium. &c.

12. VI. Subjectum QVOD passionis rectè dici Christum, subjectum QVO sanctam ejus carnem. DEVS n. passus est sed carne 1. Pet. 4. v. 1. Et videtur quidem Keckermannus hac in parte ab alijs Calvinianis divortium facere dum attributa naturarum personæ verè & realiter non verbaliter convenire disertis verbis fatetur p. 194. & conqueritur verbalis tantum idiomatum communicationis notam Ecclesijs Calvinianis nullo jure impingi; quod tamen jure fieri infra demonstrabimus.

13. VII. Vigilium quod attinet, ejus expositio hoc quidem in loco satis commoda est. Cæterum nolim lectorem latere ea, quæ D. Mentzerus contra Martinium p. 84. habet: Ibi n. nolo id, inquit, præterire silentio, occurrere in Vigilio quædam ἀκύρως dicta, & quæ indigent dextra explicatione, sicut cuivis legenti patet. Vnde factum, ut & ipse in fine libri petat à legentibus veniam. Chemnitius l. a. c. 30. p. 12. declarationem sententiæ Vigilianæ ex ijs sumi debere vult, quæ commodè alibi adduntur ab illo-ipso. Quia n. contra Euticbianos disputavit in asserendis essentialibus humanæ naturæ proprietatibus facilè ipsi incommodè dictum excidere potuit.

Q. Quadragesima Secunda.

An proprium unius speciei sit communicabile alteri realiter diversæ?

THESIS V.

Ro negativa dimicat Kack. non secus ac pro aris & focis pag. 181.

PAxioma, inquit, est logicum penè tam manifestum naturæ, ut illud bis quatuor esse octo: ideoq; à nemine Philosophorum, ne ijs quidem, qui ad

multa.

multa paradoxa proni fuerunt, usq; ad hæc nostra tempora negatum: ubi demum reperti sunt, qui ut carnis Christi veritatem everterent, tùm hoc tùm alia Logica principia impugnarunt. Quibus quidem rationes opponi possũt invictæ pro hoc naturæ principio stabiliẽdo. (1) Primò enim ipsa vox ἴδιον proprij eos refutat: siquidem omne quod communicatur commune est: quod autem commune est, τῷ ἰδίῳ contradistinguitur; contradistinctum autem sui contradistincti negationem includit, ita ut communicari vel commune esse dici nihil possit, nisi prius dicatur non proprium. Quando ergo communia propria dicunt, proprium dicunt non proprium; propter quam contradictionis implicationem fit ut Dei potentia à propriorum communicatione abhorreat, & abhorreat etiam ipse hominis intellectus, contradictionis per naturam osor. Ex quo odio dixit Philosophus lib. 1. Top. c. 5. nemo proprium appellat id quod potest alij inesse. (2) Secundò accedit nexus & unio arctissima inter essentiam & proprium cujusq; speciei; quælibet enim res ad sui perfectionem requirit tria individuè inter se connexa, videlicet essentiam, essentialia propria & operationes, unde & Scholastici propria vocarunt, secunda momenta naturæ. Quapropter proprium communicari non poterit nisi prius rerum essentiæ fiant inter se communes, atq; adeo confundantur; quia nimirum omne proprium est ad essentiam certam, & ἀδιαίρετον determinatum, quam etiam pro causa habet, à quâ fluit, ita ut effectus hic alteri communicari nõ possit, quin ipsa causa videlicet essentia cõmunicetur. (3) Tertiò quod est causa distinctionis rerum, non debet esse causa confusionis: sed propria acciden-

tia & operationes sunt illud, quo mediante res inter se distinguuntur unde sequitur, non posse esse illud quo confunduntur; essent autem, si rebus disparatis communicarentur: quod enim commune est, id certè non distinguit. Aut ergo res suis essentialibus inter se non distinguuntur aut propria non communicantur: Effugia & distinctiones, quibus illi hoc communicationis. ἄλογον conantur interpolare alibi expendimus & refutavimus prolixè.

2. *Sed in quem finem hæc ita operosè disputantur à Keck.? nimirum ut caro Christi è solio & throno divinæ majestatis, ad quem unione mirabiliter singulari & singulariter mirabili elevata est, nefariè deturbetur contra tot dicta scripturæ, quæ sua claritate ita radiant, ut mentis callosæ & obfirmatæ esse oporteat eum, qui ijs non percellatur. Glorifica me, inquit Christus Ioh. 17. v. 5, Pater apud te ipsum eâ gloria, quam habui apud te, priusquam mundus fieret. Quam gloriam esse infinitam, divinam & æternam non credo quemquam Calvinianorum esse tam immundi oris, qui negare ausit. Nec eam à Christo prout Deus, sed quatenus homo est, petitam probat Cyrillus; quia ut Deus semper illam gloriam habuit. Verba ejus sunt: Gloriam suam, quam semper habet, ut Deus, ut Homo petiit, nec quia gloriæ unquam propriæ expers fuit, hæc ab eo dicuntur, sed quia in gloriam, quæ sibi semper adest, ut Deo, proprium templum subducere volebat. Sed hæc Theologorum subsellijs relinquenda.*

3. *Proprium autem communicari, nostra sit thesis constans, quam multis argumentis & exemplis ex ipso naturæ scrinio petitis solidè probatam reperies apud Schroderum de Commun. proprij, Iacobum Martini de com. proprij, Casparum Finckium part. 1. Sched. s. 35. Hesselbeinium in secundo antidoto s. 7. Victorem &c. Nobis hic sufficiant duo exempla pro theseos confirmatione. Vnum sit Philosophicum, idq; tale: Si Forma seipsam materiæ communicat sua simul propria ei communicabit.* Ἀναντίρρητον. *Non enim proprium abesse potest à re cujus est proprium Scal. Exer. 5. s. 6. Connexio propriæ causæ & effectus est immutabilis, ut naturæ ignis & caloris, idem Exer. 307. s. 25. Est unio arctissima inter essentiam & proprium Keck. At*

prius

prius est. Ergo etiam posterius. Assumptio probatur (1.) quia forma perficit & informat materiam: Annon vero informans seipsum dat informato, perficiens perfectibili? & quî posset forma materiam perficere, nî se illi communicaret. (2) quia forma cum materia constituit unum reale per se incommunicabile. Ex duobus autem incommunicabilibus quomodo posset fieri unum per se incommunicabile. Et quomodo forma cum materia unũ per se constitueret, nisi se illi communicaret: Adeò divina res forma est, ut cum sit substantia aliam totam sui impleat substantia Scal. Exer. 307. s. 29. Hinc argumentum. Ex quibus fit unum per se, illa per se uniuntur. Quæ per se uniuntur illa sibi fiunt communia, alterum alteri communicatur. At ex formâ & materia fit unum per se. Ergo. Minor ulterius probari potest, quia habent se ut actus & potentia. Ex actu vero & potentia fieri unum per se tanquam indemonstrabile principium ex Averroe 8. Met. t. 15. Iavellus 8. Met. quæst. 7. accipere jubet. Et iterum: quæ sese mutuo permeant, inter ea vera est communicatio. Materia & forma mutuô sese permeant. E. Minor constat ex Scaligeri isto, & quomodo negaretur cum forma omnes materiæ partes informet. (3) quia mutuo de sese prædicantur. Materia enim dicitur informata. Illud vero fieri nequit, nisi ob communionem mutuam. Dicitur autem materia non forma, sed informata prædicatione paronymica, quia hæc ad essentiam illius non pertinet. Concludimus igitur propria communicari. Patet autem ex hoc exemplo: communicationem propriorum à nobis statui inter subjecta non invicem sejuncta sed conjuncta, quorum unum ἐντελεχείας alterum δυνάμεως rationem habet, adeoq; quæ dicunt unum ὑφισάμενον.

4. Alterum exemplum sit Theologicum: Subsistentia est proprium divinæ naturæ. Subsistentia τῦ λόγυ est communicata carni. Ergo quoddam proprium est communicatum. Minorem non audent negari Calviniani. Majorem aggreditur Goclenius tali argumento: Nullum idioma est de rei ratione & essentiâ. Personalitas est de essentia personæ. Ergo non est proprietas personæ. Ad hoc nota I. ἀθεολόγως in divinis essentiam & proprietates essentiales haberi pro distinctis. II. ὑπόςασιν proprietatem τῦ λόγυ appellari eo sensu, quo omnipotentia, virtus vivificandi etiam vocatur proprietas. Cur n. res planè eædem non haberent idem nomen. III. Vocabulum proprij in negotio communicationis idiomatum divinorum accipi eodem sensu, quo vocabulum subjecti. At Divinam naturam subjectum dicunt non ὑπάρξιος sed

ſed καθηγορίας Ergo nec proprium divinæ naturæ vocabunt, quod illi inhæreat tanquam aliquod πάθος, ſed quod de eo prædicatur. Sic eſt. Theologi omnipotentiam dicunt proprium divinæ naturæ acceptâ voce, inſignificatu non Philoſophico SED Theologico, Dicunt proprium, quia uni ſoli divinæ naturæ ſemper competit. Et huc facit, quod antè ex Clariſ. Slekero monuimus: Proprium nim. quod eſt quartum prædicabile tam latè ſe extendere ut omnia ea includat, quæ rei neceſſario competunt. Vanum Ergo & exſibilandum argumentum Goclenianum. Firmum argumentum noſtrum à communicatione ὑποστάσεως τῶ λόγω deſumptum.

5. Et ut veritas fiat magis perſpicua ad ea quæ Keck: affert Reſpondemus. I. Falſum eſſe, quod axioma illud penè tam manifeſtum naturæ ſit, ut illud bis quatuor ſunt octo: hoc n. (1.) nullâ eget ulteriori probatione, illud v. eget, & tribus rationibus in præſens à Keck. probatur licet perperam (2.) quia huic nemo niſi per malitiam vel διανοίας ἀργωσίαν contradicere poteſt, iſti vero omni jure. (3.) quia hoc eſt verißimum, illud falſißimum, ut probavimus. II. Ideoq; ab omnibus verè Philoſophis ab initio mundi vel negatum vel negari jure debuiſſe III. negatione hujus Canonis acanonici tantum abeſſe ut veritas humanæ naturæ evertatur, ut potius adſtruatur adq; mirâ perfectione. Non enim propria divina carni Chriſti communicata eam interficiunt ſed perficiunt, ſicut nec vita & ſenſus corpus humanum per ſe ἄψυχον & ἀναίσθητον evertunt ſed perficiant. In quam rem ſcribit. Negant ergo Orthodoxi iſtud falſò ſic dictum axioma, non ut evertant humanam Chriſti naturam ſed ut ὀρθοφρόνως ejus cum ſcriptura tueantur.

6. Rationes quæ hoc loco à Keck. afferuntur prolixè & ſolide refutatæ ſunt à Finckio l. a. Licet igitur nobis eſſe brevioribus. In primo argumento ludit æquivocatione vocis COMMVNE quod notat (1.) talem communitatem qualis eſt accidentis, quod quintum prædicabile conſtituit & proprio contradiſtinguitur; Et ſic impoßibile eſt proprium eſſe commune 2. notat idem quod κοινωνητὸν communicatum eſt, adeoq; per communicationem commune non priori iſta communitate, ſed tali quâ proprium manet unius rei, alteri v. ob unionem fit commune non v. proprium nec inhæſivè commune ſed ad poſſeßionem & uſum. e. g. ſenſus proprium eſt animæ, corpori tamen fit non proprius ſed communis ob unionem utriusq;. Non v. ſenſus corpori dicitur communis tali communitate, quam requirit accidens prædicabile,

cabile, ita n. nec naturæ proprium esset. Vnde vocis ambiguitas est clara. Vnde patet nullam hic esse contradictionem. Omnia n. quæ Keck: adducit de communi primo modo accepto vera sunt, falsa de eo secundo modo. Canonem ex Aristotele adductum limitamus: nemo proprium appellat quod potest alij inesse (1.) ut sit ejus proprium (2.) alij subjecto ἀσυνδιάσῳ (3.) æquali ratione. (4.) ita ut deserat suum subjectum. Aliàs proprium unius alteri potest esse commune non proprium, alteri per arctam unionem conjuncto, sic tamen ut uni essentialiter competat, alteri propter unionem, nec subjectum οἰκεῖον referat; uti ostendimus.

7. In secundo confunditur communicatio καθ' μέθεξιν & καθ' συνδύασιν. priori modo genus communicatur speciei, unde illud de hujus intima est ratione. posteriori modo quæ communicantur, illa talem essentiæ identitatem non requirunt. Non n. quando animæ propria communicantur corpori, illa hujus rationem & essentiam ingreditur, alias n. anima corporea vel corpus spirituale fieret, quod ἄλογον. Interim ipsas quoq; essentias, inter quas proprium communicatio statuitur, dicere communes absurdum non est, non quidem communicatione ἐνυπαρκλικῇ sed συνδιασικῇ non quod una ad ulterius constitutionem pertineat, sed quia sese mutuâ περιχωρήσει pereant & pervadunt. Quemadmodum igitur essentiæ sunt communes ita quoq; propria.

8. In tertio argumento committitur σόφισμα τῆς αἰτίας. (1.) enim ipsa forma principalis causa est distinctionis. (2.) communicatio idiomatum non est causa confusionis, quãdoquidem unius rei proprium non sit proprium alterius, quin & vendicatur id, quod per συνδύασιν commune dicitur, uni essentiæ πρώτως, καθ' ἑαυτήν, alteri δευτέρως καθ' ἕωσιν. Quod v. commune est ut accidens prædicabile, illud certè non distinguere ultrò Keck. damus. Ex his manifestum est, doctrinam de propriorũ communicatione absurdi nihil fovere, nec effugia vel distinctiones esse inanes & absurdas, quod quidem Keck. censet, quibus nostrates eam defendunt & tuentur, adversariorum v. φλοαξίας convellunt & refellunt solidè. Quam v. solida refutatio sit, ut jactat Keck. ad oculum ostendit Philosophus Clarisſ. Iacobus Martini in libello de com. proprij, ubi ex professo contra Kerckermannũ disputat.

9. Tandem quoq; ex dictis patet, quid de Canone quẽ paulo ante p. 179. tradit sit sentiendum: Accidens unum numero non potest esse in diversis numero subjectis;

jectis: Alij sic efferunt: Accidens idem numero non potest esse in diversis subjectis: sed ὕστερον quid fovet. Si n. simpliciter est ita, non erit communicatio idiomatum, quia sic idioma aliquod haberet duo diversa subjecta. Cæterũ ἀφιλόσοφον hoc non est, ut unum idioma habeat duo diversa subjecta licet unum modo perfectiori. Quin & hoc addatur, subjecta illa diversa non esse separata sed unita. Et quis genus suas proprietates speciej communicare negat? quæ tamen proprietates genericæ non egrediuntur de naturâ generali, & inhæsivè incipiunt esse in natura specificâ sed in natura generica manẽtes propter ejusdem cum naturâ specificâ realem unionem & consequentem realẽ communicationem reverâ prædicantur de specie. Scheib. in l. sent. Exer. 5. ax. 4. pag. 96. Deinde, ut idem notat, sunt quædam accidentia quæ q. partibus suis integrantur, & ita pro diversitate partium etiam diversa subjecta habent. Tale accidens est liberum arbitrium, spes &c. quod ipsum tamen unum est, quia subjectum completum & denominationis unum est.

Q. Quadragesima Octava.

Possitne subjectum sine contradictione concipi sub negatione proprij perfecti?

Thesis I.

NEgat *Keck. p. 183. ratione additâ*, quia inquit, concipe-retur subjectum sub negatione suæ formæ seu essentiæ; ita non possum intelligere vel concipere hominem non præditum potentiâ ratiocinandi aut non risibilem, quin involvar contradictione & hominem concipiam non hominem. *Contrâ affirmamus nos. I. Quod est extra essentiam subjecti sub ejus negatione subjectum sine contradictione potest concipi, δῆλον. Omne proprium est extra subjecti essentiam & definitionem. Ergo sub ejus negatione subjectum potest concipi. Minor probatur ad Iohannem Duns & Scotistas cæteros, qui proprium idem cum essentia statuunt, ut testatur subtilitatum Magister, Aristoteles Italicus, Exercit. 12. s. 2. substantia & accidens differunt realiter, essentialiter, nec ex ijs fit unum per se. Subjectum a. est substantia, proprium v. accidens. Ergo differunt essentialiter E. hoc de illius essentia non est.*

2. II. Quod

2. II. *Quodcunq; est prius & independens, illud concipi potest sine contradictione sub negatione eius, quod est posterius & dependens. At subjectum est prius suo proprio & independens; proprium v. subjecto posterius est & ab eo pendet. Ergo subjectum sub negatione proprij sine ἀνθυφάσει concipi potest.*

3. *Ratio, quæ à Keck. in contrarium affertur, tota ex falsis est consuta: Quis n. Philosophorum unquam per febrim somniavit propria esse formas & essentias subjectorum? Bone DEVS quam crassum est hoc Philosophema! Quomodo accidens potest esse forma & essentia substantiæ; Inficias equidē non imus accidentia vocari formas ob simplicitatem naturæ suæ, cum ex nullâ materiæ concretione constent; imò vocari posse formas subjecti, quatenus accidentaliter illud perficiunt, omne n. quod perficit formæ, quod perficitur materiæ rationem habet; Sed quid hoc ad institutum Keckermanni? Accidentalis est forma, sub cujus negatione sine contradictione subjectum potest concipi, ut ostensum. Exemplum à Keck. adductum ambiguitatem alit ob Particulam NON, quæ ambigua est. significat n. illa vel purè privativè, vel positivè simul. Priori modo accepta possum intelligere hominem non præditum potentiâ ratiocinandi; & non risibilem: sed non modo posteriori, quia sic oporteret me hominem irrationalem concipere, quod est contradictorium: Opposita n. propria arguunt oppositas formas essentiales? Quî ergo possem hominem concipere sub proprietate bruti animantis?*

Q. Quadragesima. Nona.

An sit impossibile propria perfecta, vel ad momentum temporis à suis subjectis separari?

THESIS I.

AFfirmat *Keck. p. 183. additâ ratione & autoritate:* Quia nimirum inquit, cum proximè è formâ subjecti emanent, & verò causa proximâ positâ effectus ponatur; itemq; effectu sublato, causa tollatur, ut supra audivimus: Ideò propria perfecta separari nequeunt, quin ipsa essentia subjecti separetur: ita ut omnino proprij negatio seu contradictorium destruat ipsum subjectum,

subjectum, atq; adeò hoc salvum esse nequeat, si proprium absit, id quod & Aristot. docuit 1. Phys. c. 4. ἰσὰ πάθη, inquit, ἀχώρητα, itemq; Porphyrius cap. 18. Isag. & Zab. 1. de med. dem. c. 7. nec aliud vult illud Theologorum: Qui tollit proprietates, tollit naturas. Theodor. Dial. 3. proprietatum deletio naturæ negatio est: Idem prolixè asserit Vigilius in epist. adversus Monotheletas. Quod tam sanctum naturæ principium etiam non ferunt ubiquitarij adductis aliquot exemplis quibus eludant: ut est illud de igne fornacis Babylonicæ, à quo ajunt separatam miraculo fuisse urendi vim. Id quod illi ex scriptura non didicerunt: nam si urendi vis ab igne est sublata, miraculum plane nullum à DEO fuit editum: quid enim miraculi sit, eam rem non urere, quę non possit urere? non, ergo in tollenda ab igne urendi facultate miraculum consistebat, sed in eo, cum vim urendi maximam ignis iste Babylonicus obtineret, vis illa divinitus fuit impedita, ne se exerceret, ut quidem statim post exeruit, absumens eos, qui in fornacem eandem injiciebantur.

2. *Hactenus Keck. cujus canonem si de modo & potentiâ extraordinaria sit sermo, esse erroneum, supra demonstravimus aliquot rationibus evidentissimis. Ne igitur actum agere videamur, eas non repetemus, tantum quid ponderis habeant quæ pro confirmatione à Keck. adducuntur, videbimus. Et quidem rationem ejus quâ à positione causæ proximæ ad positionem effectus arguit, nihil concludere, similiter ante integrâ quæstione evicimus. Non n. causa proximâ positâ semper effectus ponitur necessariò etiam in naturalibus. Antecedente igitur falso, quæ ex eo educere satagit Keck. de contradictione falsa pariter esse necesse est. Autoritates & regulas Theologorum quod attinet, sciendum, illas ad modum ordinarium & naturæ cursum usitatum respicere: Et sic vera sunt effata Theologorum: Qui tollit proprietates tollit naturas &c. Ordinarie n. nullo pacto separari possunt.*

possunt. Aristoteles expressè dixit, positâ causâ proximâ poni effectum, nisi impediatur lib. 8. Phys. Nec Zabarellam & Porphyrium nobis esse contrarios, Pacius super cap. 5. Isag. testatur: scribit n. se ex Præceptore suo Zabarella didicisse; Accidens commune à subjecto & positive & privativè abstrahi posse: proprium v. tantum privativè. Idem repetit. c. 17. E.

3. Vnde argumentum, quod supra posuimus. Quæ intellectus noster abstrahere potest, ea realiter DEVS potest separare. Quæ DEVS potest separare, eorum alterum si statuatur abesse, nulla involvitur contradictio. Sic n. ipse DEVS hoc non præstaret. Porphyrius potius contra Keck. facit. I. n. accidens etiam commune quoddam facit ἀχώριστον; Quis v. inde colligeret, sine contradictione illud à subjecto abesse non posse. 2. utriusq; accidentis cõmunis inseparabilis & proprij eandẽ rationem esse docet, in quantũ utrũq; necessariò suo subjectò adest. Ad exceptionem de igni fornacis Babilonicæ dicimus. 1. Etiamsi καυστικὸν ἐνέργεια & actus secundus tantum separatus miraculo dicatur, eo ipso tamen nostram sententiam non infringi, sed efficacissimè corroborari. Ratio est, quia ἐνέργεία illa ad καυστικὴν eundem necessitatis nexum obtinet, quem καυστικὴ seu potentia urendi, ad ignem positis necessarijs requisitis, ut de agentibus per naturam multis probant Metaphysici. II. plane falsum esse, quod miraculum à DEO nullum sit editũ, si urendi vis ab igne dicatur potentiâ DEI sublata. Si n. potentia urendi proximè fluit è forma ignis naturæ necessitate, utiq; istius potentiæ sublatione & separatione miraculum fuit editum. At prius est. Ergo & posterius. Ratio consecutionis in antecedente est, quia ubi ordo & cursus naturæ consuetus invertitur, ibi contingit miraculum. Atqui ubi proprium separatur à suâ forma, ibi invertitur naturæ ordo. E. Quidni ergò miraculum sit, ignem non habere potentiam urendi, quæ tamen ignis proprium est in quarto modo. Sive igitur operationem, sive ipsam urendi vim ab igni dicas separatam, utrobiq; certe miraculum cernitur.

Q. QUINQUAGESIMA.

An accidens commune rectè sit definitum?

THESIS I.

ACcidens commune est, inquit Keck. pag. 185. quod subjectis specie diversis communiter inest & contingenter. *Male definitum est hoc accidens.*

Probo: Definitio definito sit adæquata h. est nec latior nec Angustior. Keck. p. 228. ἀρετὴ τῷ ὁρισμῷ τὸ ἀνυπερέφειν πρὸς τὸ ὁρισὸν, *ex Blemmide docet Iac. Mart. lib. 5. Instit. log. At hæc definitio definito est angustior. Accidens n. commune non tantum est in diversis sed etiam specie ijsdem subjectis. Sic doctrina est in Petro, Paulo, Iohanne subjectis specie ijsdem numero v. diversis. Sin v. Keckermanno libeat eandem tibiam cum Rameis inflare, ut Individuâ unius speciei specialissimæ formâ adeoq; specie differre dicat; opponimus illi argumentum, quod quidem Sluterus in sua anatomia allatrat sed non solvit: Vbicunq; non dantur novæ operationes quarto modo propriæ ac diversæ, ibi non dantur novæ & diversæ formæ specie distinctæ. At in unius speciei individuis non dantur. E.*

2. Quod v. unum individuum Præstantiores edit operationes quam alterum, illud (1.) non â præstantiori formâ substantiali individuali oritur sed ab organorum dispositione, Præceptorum institutione, privatâq; diligentiâ (II.) nec specie diversas facit essentias, quandoquidē magis & minus speciem non variant. Repudiata ergo Keck. definitione, acceptamus eas, quæ in commentario ex alijs autoribus subjungit. De Porphyrij definitionis intellectu genuino solliciti sunt interpretes. Explicationem, quam tenet Keck. nihil absurdi habere putamus; nec illa à janua aberrat, quæ particulam ἢ reddit per ἤ, & nim. per aut, cum hujus redditionis aperta vestigia in Arist. extent.

Q. Quinquagesima Prima.

De totius ejusq; specierum definitionibus quid statuendum?

THESIS I.

Definitiones Keck. p. 187. & seq. tradit ejusmodi: Totum est quod partes habet. Totum per se est, quod habet partes propriè ac perfectè dictas. Totum universum est res communis sive universalis respectu particularium. Totum coordinatum est, quod ex partibus coordinatis actu constituitur &c. *Vitiosas a. illas esse statuo 1. quia idem per idem declarant adeoq; rem non explicant, quod est contra naturam definitionis 2. quia si de re quid declarant, imperfectè tamē hoc faciunt.*

Prius

2. Prius cuivis est manifestum. Posterius per omnes definitiones probare potest. Sufficiat nobis in unâ hoc præstitisse. Totum est quod habet partes, inquit Keck. Verè hoc dicitur, sed non perfectè & sufficienter. Ad rationem n. totius duo requisivit Thomas dicente Iac. Mart. lib. 1. Exercit Met. Ex. 7. th. 3. pag. 240. unum: ut per partes constituatur. Alterum: ut partes in toto uniantur. Vnionis a. hujus mentio plane fit nulla in definitione Keck. Aristot. v. dissertis verbis ejus meminit in sua definitione lib. 6 Met. cap. 26. Quod si nobis quis obloquatur, In logicis rudes sufficere istorum terminorum definitiones; illi pro responso reponimus, posse fortè hoc pro alio obtendi, sed non pro Keck. 1. quia ille in Logicis de his terminis agit tanquâ in suâ patriâ hoc est vernaculâ & propriâ sede. Vbi vsic agitur de re, ibi quoq; acuratè pro ratione suæ naturæ definiri debet. 2. quia in Metaphysicis de ijs nihil agit, nedum definitiones eorum tradit. Idem quod de totis, de partibus seu partium definitionibus nobis sit judicium.

Q. Quinquagesima Secunda.

An partes simul sumptæ differant à toto?

THESIS I.

Affirmat Keck. p. 192. Modum verò distinctionis an realis, sive formalis ille sit, hoc quidem in loco non exponit. Rationes adducit tres. 1. Quia totum est constitutum, partes etiam simul sumptæ constituentes. 2. Quia totum quâ totum per se est unum. At partes simul sumptæ plures. Si vero per omnia essent idem, haberent eadem attributa. 3. Quia Aristoteles 2. de anim. totum compositum facit tertiam quandam substantiam à materiâ & formâ distinctam. *Nostra hæc sit thesis: Partes à toto non differunt realiter, nec tamen planè idem sunt cum toto. Vbi observa de partibus omnibus unitis nobis esse quæstionem.*

2. *Est autem thesis nostra* διμερὴς. *Vtrumq; membrum probamus: Prius contra Iavellum lib. 7. Met. quæst. 20. p. 377. Zimaram theorem. 75. Pererium lib. 7. Phys. c. 21. Conimbricenses 1. Phys. c. 2. quæst. 1. Ioh. Hesselbeinium theor. log. c. 7. q. 2. cum Soario disp. 36. s. 3. d. Toleto in lib. 1. Phys. c. 2. quæst.*

quæst. 8. Arnisæ in Epit. Met. p. 135. In notis Crelli p. 434. Iac. Martin. Exer. Met. lib. 1. ex 7. th. 3. Meisnero in Phil. Sob. s. 4. c. 4. quæst. 1. Scheiblero in lib. sent. Exer. 16. axiom. 4. p. 284. sic argumentantes: Si totum differt realiter à partibus simul sumptis, novam & distinctam entitatem partibus superaddit. At posterius est falsum. E. etiam prius. Assumptio probatur. I. quia illa entitas neq; est simplex, neq; est composita. II. quia neq; cogitatione, neq; per potentiam DEI absolutam à partibus potest separari. III. quia etiam quid partibus seorsim sumptis compositum superaddat, intelligi potest nihil præter unionem. Sed hic de partibus unitis quæstio jam est. IV. quia illa Entitas superaddita neq; substantia neq; accidens est.

3. *II. Si differt realiter totum à partibus, hæ illius constitutionem non intrabunt, imò accuratam recipient ista oppositionem, ex definitione distinctionis realis apud Keck. p. 269. & 270. At partes toti subordinantur, nec sibi exquisitè opponuntur. Et frustrà est Ioh. Hesselb. dum loco allegato exquisitam oppositionem inter illa ostendere desudat; sicuti in ipso actu συμφιλολογίας ostendemus. Nolo argumẽta cumulare qui plura volet consulat citatos autores. Argumenta, quæ à Keck proponuntur realem distinctionem non inferre eruditè monstrat Dn. Meisnerus l. a. Et in genere contra omnia, quæ ab adversâ parte afferuntur, observasse proderit: Non ilicô realiter distingui, quæ contradictoria attributa habent. Idq; exemplo actionis & passionis plusquam notum est. Differunt ergo ex Naturâ rei. Posterius theseως nostræ membrum ex 7. Top. c. 1. probatur, ubi inquit Philosophus: Quæ per omnia idem sunt, ea prorsus eadem habent attributa, ergo cãstituens & constitutum simpliciter sunt ταυτὸ.*

4. *Pag. 193. canonem struit:* Quod est partis quâ pars, id etiam est totius secundum illam partem. *Hunc ut explanet subjungit isthæc:* Quædam insunt parti, quâ pars est, id est, ita ut ei inesse non possint, nisi quatenus & quamdiu toti cohæret aut inhæret, quædam vero eidem insunt non quâ pars est, sed qua substantiam habet à toto diversam, & idcirco ea potest remanere etiam à toto separata; posterioris hujus generis attributa & accidentia non ita rectè Toti, sed tamen parti tribuuntur, ut oculus

culus est mixtus ex humoribus, est rotundus, rectè dicitur, quia oculus totus permanet, etiam exstincto animali aut cum evulsus est: at verò oculus videt, auris audit, non dicitur propriè, quia hæc conveniunt istis partibus, qua partes & instrumenta totius, quo extincto nec oculus videt, nec auris audit. Idem de reliquis omnibus partibus sentiendum, in omni toto essentiali & integrali per se uno, &c. *& paulo post:* Illos hoc loco obtestor, qui de persona Christi & ejus attributis in Ecclesia tractant, hanc certam & immotam doctrinam Logicam animis attentis considerent, utpote ex cujus neglectu illæ de attributis personæ Christi, de communicatione Idiomatum funestæ contentiones ortæ sunt. Consideranda semper Christi persona est, tanquam totum ex duabus naturis constans, idcirco ex canone hoc & lege partis ac totius toti personæ rectissimè; non verbaliter (ut ij clamitant, qui verbalis tantum idiomatum communicationis notã Ecclesiæ orthodoxæ impingunt) sed verè ac realiter conveniunt ac tribuuntur attributa, quæ dicitur esse naturarum. Idcirco locutiones institutæ in concreto de tota persona, per alterutram partem limitatæ, & magis artificiales sunt, & unionis ministerio convenientiores, quam alteræ illæ in abstracto conceptæ, etsi quidem eæ etiam non sint simpliciter rejiciendæ. Sic commodius & magis Logicè quis dixerit: Christus est æternus omnipotens, omnipræsens, scil. quoad divinitatem: Item, Christus est natus in Bethlehem, est circumscriptus loco, est passus & mortuus, scil. quoad humanitatem.

5. *Hactenus Keck. Circa quæ observa, I. non esse absolutè verum præsertim in toto essentiali, quod ea, quæ parti insunt non quâ pars, non rectè*

toti, sed tantum parti tribuantur. Intelligere n. inest animæ quâ absolutam habet essentiam, & tamen Aristoteles dicebat lib. 1. de anim. non animam sed hominem intelligere. II. Meritô notent istum Canonem Keck. complices, qui enunciationem istam scripturæ, DEVS est passus, sic resolvunt: DEVS, id est caro Deitati unita est passa, Quasi v. actiones & passiones non essent suppositorũ! Quasi item sola caro posset salvus nos facere. III. Calvinianæ Ecclesiæ, quæ certe orthodoxiæ titulum gerit sine re, rectè impingi verbalem communicationem probamus non tantum ex propositionum: DEVS est passus, Dominus gloriæ est crucifixus, ἀναλύσει Doctoribus Calvinianis usitatâ, qui illas vel per ἀλλοίωσιν, ut Cinglius, vel per συνεκδοχὴν, ut Goclenius explicant, sed & ex diserta Bezæ confessione ut & P. Martyris, qui totidem literis & syllabis verbalem appellitant.

6. IV. Attributa naturarum toti personæ realissimo prædicationis modo convenire non tam vi Canonis huius, quam autoritate sacrarum scripturarum, quæ ea toti personæ attribuunt nuda verba nequaquam nobis reponet, cum verbum DEI sit veritas. V. Non magnopere hîc nos curare utræ locutiones sint magis artificiales: sufficiat n. nobis ipsam SS. scripturam uti locutionibus, in quibus subjectum est abstractum naturæ, Vide sis Ioh. 6. v. 51. 53. 54. Math. 26. v. 28. Luc. 22. v. 16. 1. Ioh. 1. v. 7. Deinde quando DEVS dicitur passus, mortuus &c. Subjectum est nomen personæ ab alterâ natura denominatæ. Ergo locutio abstractiva non est. Vide Chem. de duab. nat. c. 13. Menzerum tom. 1. disp. Gies. disp. 3. th. 86. Tertiô propositionis hujus; Caro Christi per & propter unionem vivificat, & illius: Filius Mariæ quâ homo est, vivificat; est unus idemq; sensus, adeoq; sunt æquipollentes propositiones. Vide Menzerum disp. 3. th. 47. At de æquipollentibus idem est judicium. At prior non est locutio in abstracto. Idem ibid. Ergo nec posterior. Ergo æquè artificiales erunt.

7. VI. Propositiones hæ: Christus est æternus, omnipotens, omnipræsens, scilicet quoad divinitatem: Item Christus est natus in Bethleem, passus &c. non sunt temerè confundendæ. Prior n. ex attributis constat non unius generis. Quia primũ attributum pertinet ad primum genus communicationis idiomatum; secundum v. & tertium ad tertium genus. Quæ a. in tertio genere prædicantur, ea ad utramq; naturam rectè referuntur, licet non modo eodem. Rectè ergo enuntio: Christus est omnipræsens & secundum divinitatem & secundum humanitatem, secundum divinitatem ὑσιωδῶς

secundum

secundum humanitatem ὑποστατικῶς. Quando v. dico, Christus est æternus, prædicatum hoc ad divinitatem restringendum est, ita docente ipsa scriptura, & res in primo genere communicationis est plana. Posterior propositio ex similibus constat attributis & est in primo genere, ideoq; rectè secundum humanitatem intelliguntur eadem. De vera resolutione propositionum, in quibus antecedens est concretum naturæ solida & pulcerrima videre licet apud Menzerum loco præ allegato.

8. *Pag. 194. sub canone:* Non quicquid totius est, etiam partis est: *Imperitiæ reos agit Theologos Lutheranos Keck. Ita enim scribit:* Deploranda sit eorum imperitia, qui quasi Logicæ benè sentiendi & loquendi regulæ nihil ad eos attineant, ita de persona Christi sinistrè sentiunt & loquuntur, atq; adeo nimis impetuosè urgent, ut quicquid toti Christo, seu toti personæ mediatoris verè tribuitur, id continuô etiam naturæ humanæ verè tribuatur: Tota, inquiunt, persona mediatoris ubiq; est, & non est tota sine carne assumpta. Ergo & hæc ubiq;; non intelligunt partis & totius doctrinam, nim. quia totus homo intelligit. Ergo & venter intelliget, quia sine ventre homo non est integer; quia totus homo est conditus erecto in cælum vultu: Ergo & pes ejus est erecto in cælum vultu, cum sine pede non sit integer: quia Christus ad totum latronem in cruce dixit: Tu hodie eris mecum in paradiso, E. etiam corpore eo die in cælum fuit assumptus.

9. *Verum potiori jure à nobis Keck. imperitiæ accusatur. I. quia quis usus Philosophiæ sit in Theologia ignorat. Defert n. Philosophiæ in Theologiâ dominium, dum consequentias Theologicas regulis logicæ vult æstimari & judicari. Nostrates v. rationem esse captivandam, fidum Philosophiæ famulitium dominatui Theologiæ esse destinandum censent, cum immmensos religionis nostræ agros rationis nostræ decempedâ metiri nefas sit. Et hactenus etiam logicæ benè loquendi & sentiendi regulas ad se attinere probè norunt. II. quia ignorat quæ sit Orthodoxorum circa præsens doctrinæ ca-*

put

put sententia. Non n. quicquid toti personæ tribuitur, ilicò etiam humanæ vel etiam divinæ tribuunt. Quin potius sollicitè & accuratè distinguunt prædicationes primi & tertij generis idiomatum.

10. In primo genere quicquid toti personæ tribuitur ad scripturæ mentem & ductum vel divinæ vel humanæ, & non tantum humanæ vendicant. In tertio v. ut & secundo quæ prædicantur de tota persona, humanæ naturæ juxta ac divinæ debito servato ordine attribuunt. Idq; fieri rectissimè prolixè docent Theologi. Vide Chem. de duab. nat. c. 19. & alibi. III. quia ignorat de rebus distinctis distinctè loqui: unde fit, ut elumbes instantias ad argumentum Lutheranorum reponat. Recte illi inferunt. Totus Christus est ubiq;. E. etiam humana natura, non tàm ob istud medium, quod Keck. affert quia Christus non est integer sine humana natura, quàm quod omnipræsentia Christo secundum tertium communicationis Idiom. gradum tribuitur. Quæ v. juxta illud tribuuntur personæ ea scriptura manifestè ad humanam naturam restringit Ioh. 5. v. 27. Apoc. 5. v. 12. Phil. 2. v. 9. Et quidni pertinerent ad humanam naturam cum in tempore ista dicantur data?

11. Sed quid Keckermannus ad hunc discursum? Instantijs illum conatur enervare: Totus homo, inquit, intelligit. Ergo etiam venter &c. sed conatus vanus est & fruſtraneus quia ab actione totius ad actionem partis colligit, quæ ratio nulla est; operationes enim toti insunt, & tribuuntur non respectu omnium & singularum partium, sed tantum ratione certarûm, unde de quavis parte minus rectè dicuntur. Nostrum v. argumentum à præsentiâ totius ad præsentiam partium concludit, idq; legitimè & rectè, tùm quia partes non per se sed per accidens situantur & locantur, tùm quia partes unionem habent cum toto. Vera a. unio importat realem unitorum præsentiam. De his docta vide apud Meisnerum in Philsob s. 4. cap. 2. quæst. 2.

12. P. 201. scribit: Prædicatio Evangelij per accidens versatur circa reprobos, cum absolutè & suâ naturâ tãtum destinata sit electis. Contra: Quicunq; ex DEI voluntate & mandato debent credere, illis per se & absolute destinata est prædicatio Evãgelij: At reprobi ex mandato & voluntate DEI debent credere. Ergo. Major certa est, cum voluntas DEI non sit hypocritica, dolosa & sycophantica. Apage n. tę cum bono dolo sanctâ licitaq; simulatione Bezæ & Piscatoris. Mi-

nor

nor probatur, quia reprobantur & damnantur ob id, quod non credunt Ioh. 3 v. 18. (2.) Qui ob neglectam & repulsam prædicationem Evangelij damnantur, illis per se destinata est prædicatio Evangelij. At reprobi damnantur ob repudiatam Evangelij prædicationem. Vt supra ostensum. E. Per accidens verò 2. Cor. 2. v. 15. Evangelium dicitur odor mortis ad mortem. Vide Clariss. Affelmannum Præceptorem nostrum in disp. de præd. st. anno 1614. excusâ.

Q. Quinquagesima Tertia.

Ubinam doctrinæ de definitione & divisione in Logicis legitima sit sedes?

Thesis. I.

Keckermannus *pag. 205. suam nobis de hâc quæstione sententiam hunc in modum exponit:* Ne quis, inquit, hic cavilletur methodum nostram, habemus magnas rationes & autores, qui ante doctrinam propositionis, de definitione & divisione, id est, de terminis simplicibus ortis tractarunt; solus Melanchthon sit pro omnibus, cum plures nominare possim; & certê dici non potest, quantam illi confusionem in logicam introducant, qui de definitione & divisione tractant vel post doctrinam de propositione, proximè ante syllogismum, ut fecit Fonseca, vel de divisione tractant in mediâ doctrina syllogismi formalis; de definitione agunt circa doctrinam demum demonstrationis; ij profecto nec Logicæ methodum: nec deniq; consilium Arist. in organo videntur perspexisse.

2. *Ad quæ Resp. (1.) Definitionem, prout primæ mentis operationi respondet, Logicæ considerationis non esse; Sic n. est vox intentionis primæ ipsam rerum essentiam immediatè declarans, & consideratur ab Arist. 7. Met. cap. 4. & seq. nisi quatenus in demonstratione est vel principium vel finis ejus; ut docet Zab. lib. 4. de Met. cap. 13. Sicut igitur Topicus terminos*

reales mutuatur ab artibus realibus, ita quoq; facit demonstrator, ostenditq;, qua ratione in syllogismo demonstrativo se habeant. Crellius part. prop. log. lib. 2. cap. 2. quinq; modos, quibus definitio à logico consideretur, recenset, quos, si placet, Vide ibid. Arnis. in notis c. 4. p. 64. Definitio, inquit, considerata pro essentia & quidditate ab Arist. 7. Met. considerari debuit, sed quid definitio sit, docere, pertinet ad logicum, quia eo sensu definitio est instrumentum cognoscendi & notio secunda. Vbi caute accipias, quod dicitur, instrumentum cognoscendi: Nam Zab. lib. 3. de Method. cap. 15. ex professo disputat contra, nim. Definitionem instrumentum cognoscendi non esse, nisi quatenus nomen ignotum per notius; non v. res ignota per notiorem declaratur. Nec obscurè hoc innuit ipse Arnisæus lib. 3. part. com. c, 12. p. 429. Vbi definitionem ab ope syllogismi pendere, si veritatem ultimò attingere debeat, scribit.

3. Et Zabarella multis in locis inculcat, definitionem non esse instrumentum cognoscendi seu notificandi. Vide lib. 3. de Meth. c. 13. lib. 4. passim. Generale ejus fundamentum, cui inititur, est: quia omne instrumentum logicum sit cum ratiocinio conjunctum. Hinc lib. 4. de Meth. c. 7. revera inquit, omnium instrumentorum logicorum genus apud Aristotelem est syllogismus; cum igitur sub eo genere definitio non contineatur, non est instrumentum Logicum. Et lib. 3. cap. 13. scribit: Quod dicunt aliqua dari instrumenta logica ad primam, non ad tertiam mentis operationem pertinentia, & ejusmodi esse ipsam definitionem, quid sit instrumentum Logicum penitus ignorare videntur. Idem sentiendum est de divisione argumento à majori ad minus. Divisio n. definitionis ministra est, Aristoteles lib. 2. Post. Anal. c. 14.

4. Patet igitur hactenus definitionem per se sub contemplationem Logicæ non cadere, quod ulterius eo stabilitur, quia finis ultimus est Logicæ. Iam v. finis ultimus non est de essentiâ ejus cujus est finis, nisi respectu intentionis. E. Major probatur, quia veritas rerum in earum definitionibus ostenditur. 2. Definitionem posse considerari secundum universum complexum, quatenus definitum includit, & sic ad secundam mentis operationem pertinere; ratio est, quia coincidit tùnc cum enunciatione. Accipitur ita ab Aristotele 1. Post. anal. c. 2. & alibi. Sed hoc respectu de definitione non est quæstio, nec rectè procedunt, qui ante syllogismi tractatum de definitione agunt. 3. Ipsum Arist. agere de divisione lib. 1. prior. c. 31. ut discutiat

scutiat Quæstionem, an syllogismi divisivi valeant ad probandum seu problema concludendum. Quem si pari ratione alij logici consectentur, institutum illorum minimè improbandum est.

5. IV. De definitione & divisione rectissimè tractari circa doctrinam demonstrationis. Idq; ut probemus distinctè procedendum est. Definitio sumitur vel secundum se, ut est Metaphysicæ propria, & prout Demonstrator eam mutuò accipit à Metaphysica: vel pro ratione investigandi definitionem. Vtroq; modo considerata rectè ejus tractatio loco dicto instituitur. Quidnî n. termini, ex quibus demonstratio constatur, circa demonstrationis doctrinam tractentur? Quidni ratio investigandi ibid? Annon in lib. 1. prior. Anal. ab ipsis syllogismi principijs orditur Aristoteles? Annon ibid. rationem investigandi medium terminum circa doctrinam syllogismi tradit? Idq; per se? Certè nulla ratione idoneâ negari hoc potest. Est enim inveniendi ratio multiplex. Quædam est communis omnibus syllogismis, quæ fuit exposita lib. 1. Prior. tract. 2. alia est Dialectici propria, quæ explicabitur in Topicis: aliâ utitur demonstrator, ut habet Pacius super cap. 14. 2. Post. Si a. ratio inveniendi communis rectè traditur circa doctrinam syllogismi, quod tantum abest, ut neget Keck. ut potius ipso opere idem faciat l. 3. Syst. log. c. 2. Item si syllogismi formaliter spectati Genesis à primis simplicibus terminis seu principijs rectè inchoatur, quod facit etiam Keck: idq; circa doctrinam syllogismi, quidnî idem fieri deberet in parte propriâ eodem ordine. Quo a. consilio Arist. de definitione circa doctrinam demonstrationis egerit, egregiè mõstrat Zab. lib. 4. de Met. c. 9. & 10. Nec obsunt nobis illa, quæ à Rasio in vindicijs opponuntur th. 4. κρισ. part. ut legenti patet πρὸσ ὄψιν.

6. V. Quatenus definitio sumitur pro modo & ratione investigandi definitionem, esse eam Logicæ contemplationis. Patet hoc tàm exinde, quod nulli alij disciplinæ conveniat rationem istam tradere præter logicam, quàm quod ratio inveniendi medium terminum Logicæ sit propria. Iam v. definitio est medius terminus seu principium in demonstratione, Aristoteles lib. 1. post Anal. cap. 7. Ergo ejus inveniendi ratio Logicæ est propria. Instrumentum a. quo utimur in investigandâ definitione accidentium, est demonstratio potissima, quæ solo terminorũ situ ab ea differt: Quo utimur in investigandâ definitione substantiarum, est demonstratio τῆ ὅλη seu methodus resolutiva, vel etiã divisio. Modus ergô dividendi in Logicis traditur ob modũ definiendi. Et ne quidem primariô modũ definiendi in logicis tradi, sed tantum secundariô, cum principia ut nota supponi debeant, contendit Zab. lib. 4.

de Met. c. 10. & lib. 3. cap. 14. docet definitiones sola mentis inspectione & diligenti consideratione innotescere. Quicquid sit modus tamen ille inveniendi definitiones verè Logicus est.

7. *Pag. 216. Lutheranos vicissim sibi proponit exagitandos, quàm verò rectè operæ precium est dispicere. Age igitur verba ejus adponamus.* Omnes, inquit, distinctiones, quæ & obscuræ sunt & subjectæ rei seu materiæ repugnant, omnes, inquam, istæ erroneæ sunt ac vanæ; quales interdum in scolasticis præsertim scotistis occurrunt, & quales hodie plurimæ confictæ ab ubiquitatis Patronis; quas cum audis aut legis experiris densis absurdorum tenebris circumfundi omnem animi intelligentiam; ita ut cum interrogantur, quomodo, si omnes divinæ proprietates (utpote quæ re unum sunt & à se invicem indivulsæ) datæ sunt carni Christi, æternitas sit data ei, quæ ante annos mille sexcentos cæpit, distinguunt illi vocem (æternus, quod interdum mediatè interdum immediatè significat,; quasi æternitas, quæ primum est DEI proprium respectu ordinis, requirat intermediam omnipotentiam & omnipræsentiam. Sic communicationem propriorum dicunt interdum significare μέθεξιν interdum κοινωνίαν, quod perinde est ac si dicant communicationem proprij interdum significare participationem generis (hoc enim est μέθεξις) interdum communicationem proprij: Sed & aliam confinxerunt distinctionem absurdiorem longe: Ecce enim vocabulum cæli sic distinguit Chemnitius explicans orationem Dominicam in harmon. Evang. quod cælum interdum significet ipsam DEI majestatem & gloriam; & sic rectè dici cælum esse æternum & omnipotens: sicut nuper adeo quidam in Scepusio ubiquitarius tenebrio

brio, quem supra notavi, theses edidit de æterno & omnipotenti cælo; hoc nim. est, omnia distinguendo ita susq; deq; miscere, ut & rerum naturæ evertantur penitus & hominum mentes miserrimis vocum tenebris obfusæ tandem, nec quid DEUS à cælo, nec quid cælum à terrâ distet, debeant intelligere.

8. *Resp. (1.) Verum est omnem distinctionem fieri ob perspicuitatem, ut nim. intellectus eo melius res percipiat, (2.) Obscuras distinctiones à Lutheranis esse confictas, ne uniusquidem distinctionis exemplo probari rectè potest. (3.) Scopticè imò impiè Keck. scribit æternitatem DEI ante annos mille sexcentos cæpisse, quæ sanè intij & finis expers est (4.) In exemplis, quæ asseruntur, adeoq; ipso Keckermanno desideratur candor. Est n. falsissimum, vocem (æternus) dicto modo à Lutheranis distingui. Ostende unum autorem, si vir es, in quo ista distinctio reperiatur. Ego quidem sic didici, quod inter ipsa idiomata, quæ communicata dicuntur, distinguant ita, ut quædam mediatè quædam immediatè dicant communicata; seu quod idem, vel etiam manifestius est, quædam communicata sint ad solam possessionem, e.g. æternitas, spiritualitas &c. quædam simul ad exercitium & usurpationem, ut omnipotentia, omnipræsentia &c. Vlterius sic docent: Ea idiomata, quæ ad solam κλῆσιν communicata sunt non denominare humanam Christi naturam nisi mediante idiomate, quod ad χρῆσιν simul datum est, ita caro Christi non dicitur æterna & spiritualis, dicitur tamen omnipotens æternâ & spirituali omnipotentia: Ea v. Idiomata, quæ simul ad χρῆσιν & usurpationem tributa sunt, humanam naturam denominare: Ita caro Christi est & dicitur omnipotens, omnipræsens, adoranda &c.*

9. *Hæc est orthodoxia Lutheranorum, quam non est, ut cavillo suspendas. Exempla enim luculenta habemus in naturæ circo. Anima dum se totam corpori immediatè communicat, etiam spiritualitatem suam ei communicat, nec tamen corpus dicitur spirituale; At à virtute sentiendi communicata dicitur sentiens &c. Deinde similiter falsum est, Lutheranos istam communicationis proprorum significationem, quam ijs præter & contra mentem obtrudere conatur Keck. tradere. Communicationem seu κοινωνίαν docent, aliam esse καλὰ μέθεξιν, aliam καθ' ἕνωσιν seu καλὰ συνδύασιν; Et hâc posteriori, non v. priori Carni Christi esse communicata attributa verè*

divina. Ratio est. Quia qualis unio talis & communicatio hactenus. At v. unio non est καλὰ μέθεξιν, non n. in unam coalescunt essentiam humana & divina natura, sicut docetur circa primum communicationis genus sed καλὰ συνδύασιν seu καθ' ὑπόστασιν, quia impermixtæ concurrunt ad unam personam constituendam. Nec, ut Keck. vult, ita communicatio καλὰ μέθεξιν est adstricta ad ipsam Generis essentiam ut ejus proprietatibus non possit competere. Cur n. non eodem communicationis modo ipsa propria statuantur communicata, quo essentia communicatur, nulla est ratio. Et quo alio communicationis modo propria generis speciei communicabuntur, quàm isto, qui vocatur καλὰ μέθεξιν?

10. V. Distinctio ista vocis (cælum) in cerebro Chemnitiano non est nata & conficta, sed fundatur in luculentis sacræ testimonijs, in quibus vox hæc nullam planè aliam significationem admittit, quam hanc, de quâ quæstio est. Inspiciantur dicta & in timore Domini expendantur, quæ supra in hanc rem produximus. Ex quibus erit manifestum & Chemnitium & tenebrionem istum, quem per contẽptum suppresso nomine ita vocat Keck. nil contra scripturam statuere. Vide D. VVinckelmannum in diesp. Gies. tom. 1. disp. 4.

11. Pag. 219. eosdem Lutheranos duplicis ἀκυρολογίας accusat, quarum una in voce communicationis idiomatum, quâ abutantur pro transfusione proprietatum infinitarũ divinitatis in finitam carnem Christi, altera in voce sacramenti altaris, quâ periculosè à nonnullis vocetur q. ibi sacrificium offeratur pro vivis & mortuis. Cæterum prius quod attinet, aperta est calumnia & vel millies à nostratibus elusa & elisa. Pro omnibus sit unus Chemnitius lib. de duab. nat. cap. 12. Nec communicationem idiomatum definiunt per transfusionem, sed per ortam ex unione hypostaticâ (realem & personalem) participationem propriorum divinæ & humanæ naturæ, in Christo θεανθρώπῳ factam ab alterutrâ vel utraq; naturâ simul denominato. Menzerus Tom. 1. disp. Gies. disp. 2. th. 79. Et quæso te, an transfusio vel exæquatio est, quum anima corpori suas largitur proprietates? Nequaquam. Ergo nec quum divina Idiomata communicantur carni Christi. Hinc Theologi ex patribus dicunt τὴν μετάβασιν non transitivè sed μετάδοσιν communicationem esse factam.

12. Nec posterius quicquam periculi habet, Id quod verbis D. Menzeri. Tom. 3. disp. Gies. d. 6. th. 9. ostendã: Apud nonnullos, inquit ille, usurpata legitur appellatio.

latio Sacramenti altaris: quam D. Lutherus in articulis Smalealdicis & Catechesi retinuit. Intelligitur a. nomine altaris mensa, in quâ conferebantur munera Christianorum, de quibus jam dictum est. Vnde puerilis error eorum deprehenditur, qui sacrificium papisticum somniant isto nomine stabiliri. Nã ut reliqua taceam: relatio non est perpetua inter altare & sacrificium, ut patet ex Iosuæ 22. v. 26. 27. 28. & ex Herodoto in Chio pag. 90. edit. Franc. an. 94. vide etiam p. 793. Quid? annon etiam in mensâ putant posse celebrari Missam. Vsus permaneat verus: tollatur abusus. Vsus habet laudẽ, crimen abusus habet.

Q. Quinquagesima Quarta.

An definitio definitionis sit bona?

Thesis I.

Eck. pag. 224. & 225. ita definit: Definitio est definiti explicatio seu evolutio. Perfecta definitio est definiti per terminos essentiales explicatio. Desidero in his definitionibus (1.) verum & exquisitũ genus, quod Aristoteles constituit λόγον lib. 2. post. anal. cap. 10. 1. Top. cap. 4. 8. Met. cap. 6. Nec interpellatio Keckermanni uno teruntio digna est, quod nim. oratio accidat definitioni. Distinguat n. inter oreationem internam & externam. Illam, non hanc genus definitionis facimus. Idq; jure. Probo: Illa est hujus vocis λόγος significatio in definitione, quæ est in enunciatione & syllogismo. At in his exponenda est per λόγον ἐνδιάθετον non προφορικόν. Vide Arniseus in notis lib. 3. part. com. cap. 2. Ergo. (2.) σαφήνειαν. Dum enim novus esse vult Keckermannus, simul fit obscurus. Cur n. non contentus est consueta & recepta definitione; Definitio perfecta est, quæ constat vero genere & differentia specifica? Notius certè est quid sit genus, quid sit differẽtia, quàm quid sit terminus essentialis. Interroga pueros è trivio & experieris.

2. (3.) Sub perfectâ definitione Keck. etiam comprehensam vult causalem. At v. hanc ingrediuntur termini non essentiales. Efficiens enim & subjectum non sunt de essentia accidentis, cujus tamen definitionem ingrediuntur (4.) videtur nimis esse lata. Competit enim quoq; ut vult Keckermannus, definitionibus accidentium. At verò hæ non videntur perfectè definir posse cum sint

sint entia imperfecta & definiantur ἐκ πρόσεως. Verè tamen licet non perfectè accidentia definiuntur. Vide Arnis. in notis ad Crellium lib. 1. part. prop. cap. 6. p. 628.

3. Pag. 238. definitionem Sacramenti proponit talem; Sacramentum est ordo seu unio sacra inter rem naturalem sensilem signantem & supernaturalem seu spiritualem signatam, Christi mediatoris gratia & mandato instituta ad obsignationem spiritualium beneficiorum & fidei in Christi membris confirmationem. Errori sacramentario palliando benè apta est hæc definitio, sed falsa est. 1. enim genus accuratum non habet. Probo: Genus & species sunt ejusdem prædicamenti Keck. p. 50. At sacramentum secundum formalem respectum est in prædicamento actionis, ut inductione omnium Sacramentorum Celeberrimus Theologus D. Menzerus tom. 2. disp. Gies. d. 4. th. 12. & seq. probat. Ergo genus non rectè constituitur ordo, quod est in prædic. relationis. 2. non perfectè continet finem. Ille enim non tantum in obsignatione & confirmatione spiritualium beneficiorum sed & in collatione eorundem consistit. Vide Meisnerum in phil. sob. cap. 3. quæst. 3. Quæ præterea in hac definitione deliteſcant errata Theologis relinquo discutienda.

4. Pag. 243. omnipotentia, inquit, & ubiquitas malè dividitur in formalem & participatam, cum proprietates DEI, quæ sunt ipse DEUS, sint impartibiles. Verum unquam ab Angustanæ confessionis socijs omnipotentiam & omnipræsentiam ita divisam esse, mihi persuadere nequeo. Hoc docent, nim. Carni Christi aliter, aliter item Divinæ naturæ tribui omnipotentiam, omnipræsentiam &c. huic formaliter seu per naturam, isti per participationem seu communicationem & per gratiam unionis. An v. propterea omnipotentiam dividunt in formalem & participatam? Qua ratione hoc concludit Keck. Et certè impartibilitas non obstat, quominus una & eadem omnipotentia alio atq; alio respectu cõsideretur ut & cætera attributa divina, nam consideratio illa, quæ actus intellectus est, nullam realem illis divisionem infert. Distinguat ergo Keckermannus inter divisionem & diversam rei considerationem, & habendi modum.

5. Quod v. pag. 245. scribit: Arguitur ex hoc canone (memo-

bra-

bra dividentia consentiant cum toto) vitiosissima illa ante tacta divisio omnipotentiæ in formalem & participatam, quia alterum membrum, videlicet participata, implicat contradictionem cum omnipotentia: quod n. à se & per se non est id omnipotentia non est. *Ad hæc repetimus I. nos talem divisionem non agnoscere. II. nos agnoscere unam omnipotentiam quæ est à se & per se, sed hanc omnipotentiam aliter haberi à Christo secundum divinam, aliter item secundum humanam naturam, ut aliquoties est dictum. III. non esse verum, quod participatio seu communicatio cum omnipotentia implicet contradictionem; Annon n. per æternam generationem ὁ λόγος à patre communicatam habet essentiam, adeoq; omnipotentiam? quæ nihilominus est à se & per se.*

Q. QUINQUAGESIMA QUINTA,

An σκέψις ὁμοιότητος καὶ διαφορᾶς sit logica?

THESIS, I.

Keck. p. 254. Notabile, inquit, admodum est, quod Philosophus lib. 1. Top. cap. 16. & 17. inter organa Logica præcipuè collocat ζκέψιν τῆς διαφορᾶς καὶ ὁμοιότητος conceptum seu considerationem discrepantiæ & convenientiæ. Et cap. 18. inquit: τῶ ὁμοίω θεωρίαν, id est, convenientiæ contemplationem ad syllogismos & ad definitiones imprimis utilem esse, id quod deinde §. *seq.* tribus prolixè demonstrat. *Cæterum differentiam & similitudinem seu convenientiam rerum organa logica esse negamus 1. quia nihil est organon logicum, nisi sit notio secunda. Similitudo & differentia rerum non sunt notiones secundæ, ut constat. Ergo. 2. Quod Metaphysica ex Scopo proprio contemplatur, illud iniquè inter logica instrumenta connumeratur. At Metaphysica rerum Identitatem & distinctionem contemplatur, Arist. lib. 10. Met. c. 3. Ergo.*

2. *Nec Arist. in locis allegatis quicquam Iuvat Keckermannum; qui exinde nimis liberaliter concludit. Concedimus quidem Topicum contem-*

plari debere rerum differentiam & convenientiam, sed non secus atq; causam effectum &c. At hæc ita Topicus contemplatur ut à Metaphysica ea precariò sumat. Quare non prout Topicus hos terminos contemplatur. Et Topicus illos quidẽ posidet, sed non tanquam de peculio suo, ut inquit Slekerus in prælect. log. Hinc est, quod Arist. in locis allegatis non tradat modos identitatis & differentiæ, sed rationem investigandi illos. Vnde immensum discrimen tractationis Aristoteleæ & Keckermannianæ elucescit. Ita ergo habendum de his terminis. nim. Metaphysicæ illos considerationis esse ita, ut Logicus usum aliquem eorum sibi quoq; proprium vendicet, qui in modo & ratione argumentandi consistit.

3. Cæterum Adamus Raßius in vindicijs syst. log. Keck. contra M. Donnerũ them. 4. κρίσ partic. pro doctrina de identitate & diversitate in logicis tractandâ ceu terminis affectionũ indicibus tale producit argumentum: Vbi proponuntur instrumenta notificantia subjecta affectionum Entis atq; adeo definiuntur & dividuntur, ibi etiam proponi debent instrumenta notificantia affectiones illorum subjectorũ debent q; definiri & dividi. Atqui in logica proponuntur instrumenta notificantia subjectum identitatis & diversitatis (id est substantia & Accidens, in utroq; n. hoc Ente identitas & diversitas invenitur) ibiq; definiuntur & dividuntur. Ergo in logica etiam proponi debent instrumenta notificantia affectiones subjectorum, inter quas est cognatio sive identitas & distinctio sive diversitas. Sed Resp. 1. instrumentum notificandi & substantiam & accidens esse unum: nim. syllogismum. Ad minorem: in logicis proponi instrumenta notificandi substantiam & accidens, quia syllogismus inibi proponitur, qui solus est instrumentum notificandi Zab. lib. 3. de Meth. c. 13. Cætera instrumenta notificandi quidem sunt, sed quatenus ad syllogismum omnia rediguntur, & si quando vim colligendi habent, eam per syllogismum habent, quem virtute continent Zab. lib. 1. de nat. log. c. 18. sed quid? An Raßius putat substantiam & accidens ut instrumenta notiscandi tradi in logicis? Si ita, totus à januâ aberrat, ut ex præcedentibus videre est. Contra Raßium ita argumentamur: Quod tantum ob ruditatem auditoris in logicis proponitur tanquam subjectũ præcognoscendum id nullâ ratione dici potest instumentum notificandi. At substantia & accidens taliter proponuntur. E. Nec est, quod ad alium intentionalem considerandi modum confugiat, quandoquidem illum explicare non

potest

poteſt. Et de vocibus prout rerum indices ſunt ſeu de vocum ſignificatione agit Logicus in libro περὶ ἑρμηνείας, De vocibus v. res ſignificantibus Metaphyſicus. Vana igitur ſunt omnia.

Cæterum in doctrina de identitate & diſtinctione examinanda rigoroſi eſſe nolumus, propterea quod ſcriptores in ea animium varient. Illi v. qui in hac doctrina feliciter progredi & verſari cupit, conſultum eſſe putamus, ut varias horum terminorum ſecundum alios atq; alios autores acceptiones definitionesq; teneat, & quoties cum aliquo in diſputatione congredi vult, diſertam ab Antagoniſta ſuo petat explicationem illorum, quid nempe vocet realem, formalem, ex natura rei &c. diſtinctionem. Ita n. facilimè ſe expediet ex objectis difficultatibus.

5. *Pag. 260. ſcribit:* Proprijs nullâ ratione convenire poſſunt, niſi ea quæ recta linea ſubordinantur, aut ſub unâ ſpecie infimâ collocantur, tanquam individua. Sic animal & homo conveniunt ſenſu, quia ſcilicet realiter ſunt idem & directè ſubordinata. Vnde perſpicuè intelligitur humanam Chriſti naturam, cum divinâ non eſſe idem ubiquitate aut omnipotentia; quia divinitas & humanitas non ſubordinantur, ſeu non habent ſeſe ut genus & ſpecies, ut ſuperius & inferius, ſed ſunt diſparata. *Ita nim. Calvinianæ hæreſeos incruſtatores cum ſe deſtitutos omni ſolido ſcripturarum fundamento cernant, mantello aliquo Philoſophico ejus turpitudinem velare ſatagunt; ſed intolerabili doni illius divini, Philoſopiæ inquam, abuſu, quæ ſuis ſe limitibus & cancellis continere debebat. Quaſi v. ob axioma Philoſophicum ſit recedendum à veritate Theologica. Quaſi v. ſecundum ordinarium naturæ curſum caro Chriſti dicatur omnipotens, omnipræſens & non potius ſecundum μυστήριον ὁμολογεμένως μέγα 1. Tim. 3. v. ult. in quod παρακύψαι deſiderent geſtiantq; ſancti angeli 1. Pet. 1. v. 12.*

6. *Et quis Theologorum unquam ſcripſit proprium divinæ naturæ eſſe vel fieri proprium humanæ, ſeu humanam & divinam naturam omnipotentiâ &c. convenire, ut animal & homo ſenſu? μεταβασιν & μέθεξιν in hoc negotio omnem exulare magno conſenſu noſtræ Eccleſiæ docent: convenire a. humanam & divinam naturam iſtis attributis in perſona ob unionem perſonalem;*

sonatem; ob quam fiat, ut quæ ἑπωδῶς competunt uni naturæ, alteri cõmunicentur & tribuantur. Communicentur, inquam, ut intelligas, illi ἑπωδῶς ea idiomata non convenire. Homo v. & animal sensu in actu primo considerato ἑπωδῶς conveniunt. Et si militare debet hoc argumentum contra idiomatum communicationem in persona Christi, age ego id invertо & per inversionem illam evertо ipsam unionem personalem. Sicut n. naturaliter proprijs convenire nequeunt, nisi in eodem prædicamento res, ita quoq; naturaliter ex rebus unũ per se fieri nequit, nisi ejusdem sint prædicamenti & consentaneæ. Et si naturæ legibus standum circa præsentem controversiam, quomodo finita natura in infinita τῷ λόγῳ ὑποστάσει subsistet? Tollunt, Tollunt, quantum in illis est, Calviniani unionem personalem. Id quod alijs argumentis docent Theologi.

7. *P. 261. absolutum decretum interpolat, dum in hæc loquitur verba:* Ac parabola quidem inprimis delectatus est Salvator noster, cum inter homines versatus suâ voce eos instrueret, ut patet ex plurimis cap. Matthæi & Lucæ, ubi conciones ejus penè omnes parabolicæ longo ordine describuntur. Id quod non tantum propterea fecit, quia apud populos orientales consuetissimum fuit docendi & declarandi genus per parabolas ut patet ex historiâ Jobi, Salomonis, itemq; ex Prophetis omnibus, sed etiam quia cupiebat simulitudine rerum in sensus incurrentiũ in cælestia mysteria populo nota & perspicua reddere, non quidem omni, sed illi, qui ad cognitionem veritatis erat destinatus; reprobis n. in maledictionem cessit istud perspicuum & clarum docendi genus; ita ut inde meras tenebras caperent, unde poterant haurire clarissimam lucem; atq; adeo suo vitio & culpâ audientes non audirent, & videntes non viderent, ut dicitur Matth. 13. v. 13.

8. *Circa hæc notamus I. Auditu horrendum & blasphemum esse dictu, Salvatorem nostrum φιλανθρωπόλαλον non cupijsse omnibus nota facere, quæ prædicabat. Dic sodes qui fuerit finis prædicationis Christi; Annon sa-*

lus

lus omnium auditorum; quam aràcnitissimè sitit? Matth. 11. v. 27. Annon Christus in mundum venit, ut fieret ἀντίλυτρον pro totius mundi peccatis 1. Tim. 2. v. 1. Ioh. 12. v. 47. II. Nullum hominem absolutè veritatis cognitioni esse destinatum, ut nec ejus contemptui. Sicut enim nemo absolutè electus est, quod probant Theologi, ita quoq; nemo absolutè est reprobatus. Et sanè ita pernicioſum est istud dogma de absoluto decreto, ut multos homines in æternæ desperationis barathrum præcipitet, unde nonnullos è sociennis Calvini consilium de eo deserendo inijsse, publicè notum est. Nec tantum pernicioſum est, sed & tale, quod DEVM non DEVM, hoc est, Diabolum ipsissimum imò Diabolo deteriorem efficiat, ut peculiari disputatione, cui titulus trias syllogismorum, ad oculum demonstravit præceptor noster Asselmannus. III. Falsum esse, quod ille suo vitio & culpâ non audiat vel intelligat, cui eo fine non prædicatur, ut intelligat. Edisseras quæso nobis, quomodo suo vitio æternum damnetur, qui ad peccandum creatur, cogitur, impellitur. Hominem v. ad peccandum creari, impelli, cogi docent Calvinus lib. 1. Instit. c. 17. s. 11. c. 18. s. 1. Beza in Resp. ad Sebast. Castell. Petrus Martyr. in Epist. ad Rom. c. 1. & 6. Zanchius lib. 3. de nat. DEI. Sed quis adeò dementatus est, quin intelligat hâc ratione DEVM primum omnis peccati autorem constitui. Et frustrà excipis, DEVM esse Exlegem: Lex n. DEO quidem à superiori posita non est, sua tamen natura ipsi lex est.

Q. Quinquagesima Sexta.

An Essentia sit Ens?

THESIS I.

NEgat Keck. p. 274. Sic, inquit, ipsa essentia rei non est Ens, sicut nec existentia: si enim entia forent, haberent suam essentiam (nullum enim ens est sine entitate seu essentia) atq; ita essentia haberet essentiam, & existentia existentiam, quod est absurdum; quia infert processum in infinitum: sunt ergo modi Entis, id est, nec substantiæ nec accidentia. *Nos Essentiã Ens dicere minimè veremur. Ne v. super verbis vitilitigemus vocem Entis distinguimus: Illa enim accipitur vel nominaliter vel participialiter.*

Nominaliter notat rem, quæ habet essentiam præcisè absq; mentione existentiæ: participialiter notat rem, quæ habet essentiam actu existentem. Nominaliter acceptum vicißim notat Ens completum vel incompletum.

3. Quibus ita positis dicimus, Essentiam esse Ens non participialiter sed nominaliter, Ens inquam non completum, sed incompletum. Deinde in latissimâ significatione Ens dicitur omne id, quod est extra nihil & sic modus quoq; Ens vocari potest. Cæterum essentiam non esse modum ita probamus (1.) Modus Entis non constituit Ens in esse, sed Ens in esse suo tantum afficit & modificat. At essentia constituit Ens in esse. Ergo non est modus (2.) Essentia ingreditur ipsam definitionem rei. At nullus modus ingreditur definitionem. E. (3.) Essentia est ipsum τὸ τί ἦν εἶναι. Ergo non est modus. Ad absurdum, quod Keckermannus elicere annititur ex nostrâ sententia quid respondendum sit, ex antè dictis est manifestum. Quod enim Ens est incompletum, ut essentia, seu quod Entis Ens est, id non necesse est, ut habeat essentiam, quia est ipsa essentia, cujus alia essentia non datur. An v. detur aliquid in Ente creato, quod nec substantia vel accidens sit, novam parit quæstionem. Placet nobis sententia Soarij Disp. 31. s. 14. & seq.

3. Pag. 270. docet; personas Deitatis inter se modaliter, ab essentiâ v. tali distinctione, quæ sit modali similis (In Syst. Theol. vocat modalem) differre. Cæterum retineamus sanam de hoc tremendo mysterio doctrinam, quæ est: personas Divinitatis inter se differre realiter, personaliter, τρόπῳ ὑπάρξεως; & fundatur Ioh. c. 1. v. 2. c. 8. v. 17 item in filij incarnatione, spiritus sancti visibili effusione &c. Ab essentia differre τῷ λόγῳ seu formaliter. Si enim alia differentia hic esset, oriretur compositio. Realiter ergo unum & idem sunt essentia & persona. Differunt v. formaliter, quia de essentia prædicari potest, quod sit communicabilis; de personâ v. non. Contra Keck. v. notetur (1.) impossibile esse ut eâdem distinctione personæ inter se & ab essentiâ differant. (2.) Personas sine insigni impietate non posse dici modos. Quo v. sensu Iustinus Martyr eas τρόπους ὑπάρξεως vocet, à Theologis discendum.

4. Pag. 282. contendit contradictionem habere in adjecto, si quis dicat Corpus Christi omnipræsens, item; propria communicari. Sed oppono Keckermanno judicium Arnisæi in

notis

notis Crellij pag. 650. quo valde delector: Difficile verò est, inquit, imò temerarium, velle potentiam DEI dijudicare ex naturâ rerum, in quâ multæ rerum distinctiones, quas DEVS separare & distinctas servare potest, sine implicatione contradictionis, nos adhuc latent, sicut in mysterio Trinitatis: quia similem personarum & essentiæ differentiam nullibi reperire possumus. Item p. 580. Multa videntur rationi implicare contradictionem eò, quod similia exempla nulla in rerum naturâ invenit, quæ tamen absolutè DEO non sunt impossibilia, sicut ex tertio modo dicendi per se patet. In eo enim per se de individuâ substantiâ prædicatur existere per se, ita ut non possit esse individua substantia nisi per se subsistens. Iam tamen in mysterio incarnationis natura humana est individua substantia, non tamen per se existit, quia sustentatur in divina. Sicut igitur tertium modum dicendi per se potuit divina potentia immutare: ita ex reliquis inferre minimè possumus, eò quod sit modus dicendi per se, non posse ipsum à DEO immutari, quia nobis nondum cognitum est, quantum divina potentia in istos modos possit. Hactenus Arnis.

5. Imo antè à nobis ostensum est, posse DEVM etiam secundum modum dicendi per se immutare, quia necessitas tantum Physica in eo locum habet. Et impia sanè vox est Sadeelis DEVM contra naturam nihil posse, exemplis scripturarum διαῤῥήδην contraria. Certè definitionis necessitas videtur immutari, quando virgo dicitur peperisse, quod tamen factum sacræ nos edocent literæ; Quanto facilius igitur à DEO mutabitur necessitas Physica, qualis est inter corpus de prædicamento substantiæ & trinam dimensionem. Nec potest esse contradictio, quando corpus Christi idem dicitur esse in loco & simul omnipræsens, sive esse alicubi & non esse, cum hoc non intelligatur πρὸς τὸ αὐτὸ, id est secundum eundem respectum. In loco enim certo esse dicitur secundum actum naturalem, omnipræsens verò secundum actum personalem. Hos vero duos actus in unâ humanâ Christi naturâ ipse Zanchius Calvinianus non negat, & evidentissimè probari possunt; E.g. vera est utraq; hæc enuntiatio: Caro Christi subsistit, caro Christi non subsistit, nec potest negare ullus Calvinianus, sed eodem respectu vera non est, prior n. secundum actum personalem, posterior secundum actum naturalem verificatur.

6. Et quidni concederentur isti duo actus, cum in quovis individuo substantiali

substantiali ordinario cernantur, quorum unus existentialis, alter essentialis nuncupatur: juxta quos etiam diversa de uno individuo attributa prædicantur. Vide Dn. Menzerum Tom. 1. disp. Gies. disp. 2. th. 38. & sequentibus & Chemnitium de duab. nat. cap. 38. Vbi pias conscientias admodum sollicitè & bene præmunit contra illas argutias à Physicâ corporis ratione, à veritate naturæ humanæ petitas. Et valde notabile est, quod ex Cyrillo adducit: Christus, inquit Cyrillus, omnipotentiâ suâ naturâ rerum superatâ clausis foribus cum corpore suo ingressus est. Nullus ergò quærat, quomodo clausis januis corpus Domini penetrarit, cum intelligat, non de homine nudo, ut nos sumus sed de omnipotente filio DEI hæc scribi. Nam cum DEVS verus sit, rerum naturæ non subjacet, quod in cæteris quoq; miraculis patuit. &c. Propria sine contradictione communicari posse supra demonstravimus. ut & potentias primas à suis subjectis posse separari, quod iterum negat Keck. p. 288. Quod v. p. 291, dicit, panem & corpus Christi de se prædicari tantum relativè seu per analogiam; tenendum non ob analogiam sed propter realissimam unionem sacramentalem corpus Christi de pane prædicari, sicut homo propter unionem personalem prædicatur de DEO. Qui volet, videat D. Menzerum tom. 3. disp. Gies. disp. 6. 7. 8.

CONCLUSIO.

Sic ergô quæ hoc quidem tempore ad librum primum systematis viri Clarisſ. Bartholomæi Keck. notanda mihi visa fuere, ad umbilicum, benedicente clementer nostris conatibus altissimo Jehovâ, perduxi. Et sane veritatem spectavi, semper v. an attigerim, judicent boni, & si cubi limites ejus transgressus fuero, quod homini obtingere potest, mihi tanquam homini ignoscant. Imprimis v. mihi benevolos expeto judices illos, à quorũ sententia nonnunquam discedere volui. Licet n. me umbram tantorum virorum vix sustinere posse, ultrô agnoscã, eâ tamen libertate uti placuit, quâ nobis solis in Philosophiâ licet uti, ut Tullius monet lib. 5. Tus. q. ad Brutum, idq; ideò magis, quod dissensiones honori potius sint Philosophiæ quàm dedecori: judice eodẽ l. 2. Tus. q.

DEO sit laus & gloria in infinitis seculis Amen.

ERRATA.

Pag. A. col. 6. lin. 5. lege quem. *Col. 7 l. 25. adde in fine* operationis *col. 8. l. 17.* dirigitur. *p. B. col. 6. l. 17.* præmissa. *ibid.* vnum. *pag. 3. col. 1. l. 25.* idem *l. 29.* tanto. *Col. 2. l. 6.* nuncupentur. *p. O Col. 4. l. 34. in fine addæ* ne. *Col. 6. l. 26.* Quot *p. E. col 1. lin. 26.* propositione *ibid l. penult.* homine. *col. 4. l. vlt.* habet *p. F. col. 2. l. 7.* Sched. *col 3. l. 25.* essent. *col. 6. l. 25.* sint. *p. G. col. 2. l. 7.* animali. *l. 8.* locabuntur *l. 30.* omnipræsentia. *Col. 5. l. 12* quem. *p. H. col. 3. l. 6. post vocem, falsum esse Inserendæ unitas* I. *P. I. col. 4. l. 12,* on nir ô. *Col. 5. l. 8. & 10.* secundo & tertio *transponenda col. 8. fini ultimæ lineæ addendum*: integram definitionem participant & partes. *p. K. col. 3. l. 6.* multis *p. L. col. 1. l. 18. lib. l. 28.* non *redundat. Col. 2. l. 19.* aliquod. *l. penult. in fine periodi addendum;* statuimus. *P. M. col. 1. l. 1.* elisam. *Col. 4. l. 12. & 13. voces quædam transpositæ sunt P. N. col. 4. l. 9. quædam omissa sunt l. 25.* quemadmodum *l 30.* quodcunq; *Col. 5. l. 29.* omnimodâ. *30.* causa. *col. 7. l. 24.* suas *&c. p. O. col. 7. l. 10.* prædicationes. *p. P. col. 4. l. 21. expungenda sunt verba*: in quam rem scribit. *col 5. l. 1.* animæ. *l. 19.* permeant. *l. 30.* φλυαρίας. *Col. 6. l. 28. pro* Ad *legendum* contrà *P. R. col. 4. l. 24. post vocem* sunt *inserendum* non. *col. 5. l. 20.* dicuntur. *Col. 6. l. 15.* reponentes. *p. R. col. 7. l. 21.* Arnisæum. *l. vlt.* hæc, definixi. *p. S. col. 4. l. 23. vox* in *expungenda est.*

Hæc, optime lector, errata Typographica grauiora pleraq; notare; leuiora a. tuæ diligentiæ & discretioni corrigendæ relinquere volui. Vale & meis studijs fave.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729226964/phys_0171
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729226964/phys_0181
DFG

lus omnium auditorum; quam ardentissimè sitit? Mat... ...on
Christus in mundum venit, ut fieret ἀντίλυτρον pro to... ...tis
1.Tim.2.v.1. Ioh.12.v.47. II. Nullum hominem absolutè ver... ...es-
se destinatum, ut nec ejus contemptui. Sicut enim nemo... ...est,
quod probant Theologi, ita quoq; nemo absolutè est reproba... ...er-
niciosum est istud dogma de absoluto decreto, ut multos... ...næ
desperationis barathrum præcipitet, unde nonnullos è so... ...on-
silium de eo deserendo inijsse, publicè notum est. Nec tant... ...est,
sed & tale, quod DEVM non DEVM, hoc est, Diabolum i... ...ia-
bolo deteriorem efficiat, ut peculiari disputatione, cui titu... ...mo-
rum, ad oculum demonstravit præceptor noster Affelm... ...um
esse, quod ille suo vitio & culpâ non audiat vel intelli... ...non
prædicatur, ut intelligat. Edisseras quæso nobis, quomod... ...um
damnetur, qui ad peccandum creatur, cogitur, impell... ...v.
ad peccandum creari, impelli, cogi docent Calvinus lib. ... ...11.c.
18. s. 1. Beza in Resp. ad Sebast. Castell. Petrus Martyr. i... ...c.1.
& 6. Zanchius lib. 3. de nat. DEI. Sed quis adeô dem... ...in-
telligat hâc ratione DEVM primum omnis peccati autore... ...fru-
strà excipis, DEVM esse Exlegem: Lex n. DEO quidem à... ...non
est, sua tamen natura ipsi lex est.

Q. QUINQUAGESIMA SE...

An Essentia sit Ens?

THESIS I.

NEgat Keck. p. 274. Sic, inquit, ipsa e... ...on
est Ens, sicut nec existentia: s... ...fo-
rent, haberent suam essentiam (... ...m
ens est sine entitate seu essentia) atq; it... ...be-
ret essentiam, & existentia existentiam... ...ab-
surdum; quia infert processum in infini... ...rgo
modi Entis, id est, nec substantiæ nec a... ...Nos
Essentiã Ens dicere minimè veremur. Ne v. super verbis... ...ocem
Entis distinguimus: Illa enim accipitur vel nominalit... ...liter.
...nina.